171. **Chruscinski** (Stan. Ad.). Clypeus Serenissimi Joannis tertii, Regis Poloniarum... Austriacæ domus a Turcarum invasione vindicator... Brigæ, Typis G. Trampii, M DCC XVII. Petit f°, d.-r. veau........

Cet ouvrage est une Histoire généalogique de la maison de Sobieski, et se termine par un panégyrique du roi Jean.

I

Дубкен

Verf.: Wojciech Stanisław Chrościński.

CLYPEUS,
SERENISSIMI
JOANNIS
TERTII,
REGIS POLONIARUM,
GENTILITIUM DECUS,
SARMATICÆ CORONÆ
PROTECTOR,
POLONORUM LIBERTATIS
GEMMA,
AUSTRIACÆ DOMUS A TURCARUM INVASIONE
VINDICATOR,
CONTINUO MARTIS LECHICI IN BELLIS USU,
AD ÆTERNUM GLORIÆ IMMORTALIS SPLENDOREM
ELUCIDATUS:
SERENISSIMO
JACOBO LUDOVICO,
REGIO POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS
LITHUANIÆ PRINCIPI,
&c. &c. &c.
AUREI VELLERIS EQVITI,
CHRONOLOGICA DESCRIPTIONE
PRÆSENTATUS.

ANNO
Quo DEUS incarnatus Scuto bonæ voluntatis Mundum coronavit
MDCCXVII.

BRIGÆ,
Typis GODOFREDI TRAMPII,

SOLI DEO GLORIA.

DEDICATIO.

Clypeum Serenissimi JOANNIS TERTII, Magni & desideratissimi Poloniarum Regis, Gentilitium Decus, ac Sarmaticæ Coronæ Protectorem, seu veriùs in illo Speculum Paternarum virtutum, in Filialem Tuum exhibeo conspectum, Serenissime Regiæ Poloniæ PRINCEPS. Maximi meritorum ponderis hoc Insigne est, non aliis, nisi assuetis Martiali ferro bajulando Serenitatis Tuæ gestari exoptat manibus, & quamvis perennem in Sæculis mereatur æstimationem, nulla tamen ad portandum æqualis manus, nisi Equitis Aurei Velleris, heroica dextera. Imaginem namque Parentis Tui ipso Martis penicillo ad normam & exemplar Bellatorum delineatam, quam olim quævis hostilitas senserat & exhorruit, nemo

digniori geſtabit palma, præter Te qui vivam Genitoris Tui palmaribus triumphis, in Te expreſſiſti ſimilitudinem; dum in excita, à male ominoſo Oriente, bellorum tempeſtate, triumphales lynceo oculo Patris Tui, vidiſti ignes, & poſt copioſam cruoris Otthomannici diluviem optatam Patriæ donaſti Serenitatem, ita SOBIESCIANAM ipſo rectefactorum lumine repræſentans Lucem, ut in lumine Tuo videatur lumen, & in ſplendore Gloriæ Tuæ, claritas perennantis famæ eluceſcat. Reſplendet in Te igneum quondam Orientis fulmen, Parens Tuus, in quo, Majeſtatica quædam Tui viſio, ſpectandam ſe exhibet, eo gratiori intuitu, dum laureati ex Tartaris & Turcis triumphi, etiam in Perſona Tua leguntur. Et quamvis totum planè laudum paternarum Compendium, totusque Martis Patrii in animum Tuum ſubintravit Spiritus, nihilominus Fons ipſe originalis Tuæ lucis es, & magnorum in Orbe Lechico Parens meritorum. Adhuc in Aurora ætatis Tuæ luctatus JACOB Scythica repreſſiſti fulmina, ad cujus vel ipſum nomen Odryſium expalluit Sidus, adultior iviſti cataphractis in dividuo comitatu veſtigiis, cum magno Genitore Tuo per aſperas Alpium Noricarum ſalebras ſplendida ex fulmine Auſtriam feriente lecturus Trophæa, ut Author laborum & triumphorum Tuorum extitiſſes, dumque paterna Bella ſpectares

res, triumphare poſt peracta prælia diſcebas. Æſtimavit hanc Tuam rerum militarium peritiam Cæſarea Regiaque LEOPOLDI Imperatoris Majeſtas, & tota Auſtriæ Nobilitas, dum in Tui cultum, poſt liberatam Viennæ fortunam, prona ruebat, arctiore Affectus vinculo eum detinere laborans, cujus ſuccollaneam Virtutem in reprimenda hoſtili aggreſſione experta eſt. Ideoque poſt expugnatum Strigonium, poſt captum deditione Sicinium, laureatus Victor cum Parente Tuo in Patriam contendebas, ut feſtum Victoriæ celebrares. Sed vix Patriæ attigiſti limen illico Te Budziacenſis, & Camenecenſis evocavit arena, in qua dum ſuis munitionibus confiſus hoſtis, nuſquam appareret; ſtatariam evitando pugnam cum ipſis Cœlorum injuriis luctatus es, ut poſt triumphatos hoſtes, ex Te ipſo ſuperato triumphum dares Patriæ. Adoleſcebat interim & Ætas & Gloria Tua, quæ Orbem pervagata in omnium corda, in ſingulorum affectus, Te inſinuavit. Inde non tam Regiæ ſtirpis nomine, quam Principe regalium dotum Tuarum Fata intima cordis penetralia Sereniſſimæ HEDWIGIS ELISABETHÆ AMALLÆ, Palatinæ Rheni ex Principibus Neoburgicis, Sereniſſimorum PHILIPPI WILHELMI, Electoris Palatini Rheni, & ELISABETHÆ AMALLÆ, de Domo Landgraviorum Haſſiæ Darmſtadienſium, Conjugum le-

ctissimæ Filiæ occupasti, quæ tot Principum & Ducum sepositis amoribus, Tibi Cordi suo, animam & vitam felici devovit Hymeneo. Et quanquam nexus hic cum AUSTRIACA DOMO, non modicum Tibi obfuisse videretur, ne post PARENTEM Tuum Sceptri Polonici fieres Candidatus, aversis exinde, imo contrariis Galliæ animis, nihilominus infesta illa, Tuis Virtutibus studia & consilia, ea Æquanimitate sustinuisti, ut novum ex TE ipso, Tuaque modestia parturires triumphum, Victricibus laureis contentus, quas SOBIESCIANA ferreo stylo plantavit dextera. Subibat nempe generosum animum Tuum illud aureum Libertatis Polonæ decus, quo Gens hæc, bellica fortitudine a tot Sæculis celebris, in tantum Magnanimitatis provecta, ut quosvis Patriæ Cives, non modo Regum suorum Electores; verum etiam Regno capessendo ac portando pares & idoneos hucusque producat, cum quibus Imperatores, Reges, Principes, ac Duces Orbisque Christiani potentissimi Dynastæ in arenam Candidati descendere non erubescunt, imo sibi honori ducunt, haud ignari Civium quondam Romanorum æqualitatem, Genti Polonæ conformem, ad id fastigium Gloriæ olim pervenisse, ut Regum Diademata, Reginarumque Connubia infra nominis sui magnitudinem ponerent. Sola æqualitate pretioque libertatis celeberrimi. Ex hoc igi-

igitur Aquilæ Sarmaticæ nido, Tibi evolanti Pullo quantumvis ad Gloriæ honorisque Sacrarium, ſatis ſuperque ſuffeciſſet, intra ſinum, & Equeſtre faſtigium Gentis Polonæ naſci, nihilominus avita majorum Tuorum Virtute ex Ducali ſtirpe, Regioque collateraliter ſanguine prodeuntium, parta decora, clariorem Te, nec tamen æqualitati aut Libertati injurium prodidêre. Laborante enim poſt Fata Magni Parentis Tui, pernicioſis Civium diſſidiis Republica Polona, oblatum Diadema, quod ſciſſæ ſtudia in contraria Partes, fatali diſcordia, & exitioſa æmulatione diſſolvebant, plusquam heroa mente recuſare maluiſti, quam innocens Regnum, avido potiundi ambitu, interventuris calamitatibus objicere, quarum vel penitus pro tunc, amovendarum, vel ſaltim pro virili præveniendarum maxima Tibi inerat cura. Dumque iterum, atque iterum, in ejusmodi rerum ſtatu etiam per validiora ſuffragia impenſius ſollicitareris; id ipſum Tibi ad renuendum obſtitit, ne diſunitis Civium animis, nevè libertati in lapſum ruenti, exuto Pacis ac tranquilitatis publicæ amore præeſſes. Et dum Te ipſum hic viceris, dum regnare ſollicitatus merueris, nihilominus ſtudio boni publici famulantem Fortunam infra magnanimitatem dignitatemque Tuam habueris tenacem libertatis Polonæ: imò innatum erga illam Affectum, cunctis ambitibus flagrantiorem

 com-

commonſtraſti. Unde quotquot conſtantis animi ſolidæ Prudentiæ, & ſummæ æquanimitatis Tuæ cernuntur Specimina, quotquot egeſta ex hoſtilium cumulis cadaverum numerantur Monumenta, tot ſunt æterna Tuæ SERENISSIME REGIE POLONIARUM PRINCEPS Gloriæ in Sæculis perennaturæ munimenta, quæ ad genealogicam Domus Tuæ Lineam: cum ipſe non modico ſtudio ac profuſa liberalitate ex Archivis tam Regni Poloniæ, quam actis Curialibus, publico commodo deſtinatis, ſedula indagatione eadem depromi procuraveris ſcriptis & documentis per authentica Exemplaria ſuo in loco etiamnum extantibus, reique veritatem indubiam probantibus arbitrio Prudentum ſpectare ac pertinere dignoſcuntur.

REGIÆ SERENITATIS
VESTRÆ

DEVINCTISSIMUS, OBLIGATISSIMUS ET HUMILLIMUS SERVUS

STANISLAUS ADALBERTUS CHRUSCINSKI,
SECRET. REGIUS.

HISTORIA CHRONOLOGICA
SERENISSIMÆ
SOBIESCIORUM
DOMUS.

JOANNES TERTIUS, Poloniarum Rex, patritiam Originem à SERENISSIMA SOBIESCIORUM Proſâpia; gloriam & immortale in ſæculis Magni Triumphatoris nomen, à propria accepit virtute. Antiquorum Heroa Soboles Bellatorum, Majores ſuos maximis, aut æquavit, aut ſuperavit rectefactis. Ad Regalem Poloniæ purpuram & aureum Lechi diadema natus, ſummum Auguſtæ Majeſtati pondus & gravitatem, à ferro addidit Martiali. Aſſurrexit hæc magnarum grandis Aquila alarum, & ex nido Sarmaticæ Aquilæ evolavit. Ortus Sereniſſimæ illius Domus, à pleno heroicarum virtutum incepit meridie. Primum infantilis gloriæ mane, Illuſtriſſimorum Ducum & Heroum illu-

minata Splendoribus, SOBIESCIANA non habuit genesis, quam semper in suprema luminum auge constitisse Europeus Orbis spectavit admirator. Hinc JOANNES TERTIUS ipsis Originis suæ Primoribus Magnus, rerum gestarum gloriâ Maximus, & à Gentilitio Sanguine, & à cruento Bellonæ Sago, ad Lechicam purpuram extitit Candidatus; ab illoque SERENISSIMA SOBIESCIORUM Domus, tanquam ab Augustissimo Nepote, per sæcula succedente meritis & æstimatione cumulata, in Regiam stirpem exorsa est.

Heroicam illius propaginem ipsis Lechiæ Autocratoribus, non longè coævam & initia Principatus, & rerum gestarum series, & historiarum monimenta perhibent. Lechus namque primus, Regni Polonici Conditor, hanc plagam septemtrionalem, ab oriente complexus, ab Aquilis, Nidum, à se ipso Principatum orsus, ubi harum alitum plures, in una eademque loci Vicinia nidificantes, casu sorteque reperit, omine ab illis sumpto, Gnesnam Civitatem, Sclavonico Vocabulo, nidum designantem, nunc Archiepiscopi Gnesnensis Primatialem Cathedram, sedem sui Principatus extruit, bellis postea Vicinarum Gentium exagitatus, Victoriis & accessu regionum opulentior ampliorem Successoribus relinquit Principatum. De Filiis ejus rudis pro tunc sæculi, nullâ in historiis memoriâ extante; Vissimirus Nepos, secundus post ipsum in numero ponitur, qui Danicis prœliis Victor, opulentis ex

hoste

hoste triumphato manubiis auctus, Urbem Dantiscanam, vulgo Dańsk, quasi à tributo pendendo appellatam, & Vismariam, nomen Conditoris referentem, tanquam binas trophæorum suorum Columnas, novus Lechorum Hercules fundat. Fortè tunc per liberam æqualitatem inviso Principum dominatu, seu prævalente Populorum potentia, ad Duodecim Viralem potestatem, more quondam Romano deventum est, quæ in electos Palatinos duodecim consociata, pluribus annis hoc regimen sustinuit, namque Uno è Vivis sublato, alter substitutus gaudebat gubernio, donec etiam hoc Aristocratiæ genere fastidito, rem iterum ad unum deferri placuit. Ergo Gracchus seu variante Chronologorum certitudine, Cracus vocitatus, Lechicæ, Monarchiæ susceptis habenis, Urbem Craciam nunc Cracoviam dictam, à suo erigit Nomine, dominatusque sui Metropolim, postea verò Regum Poloniæ Coronatricem, ac Sepultricem pronunciat; Arce in Monte Vavelo ad memoriam posterorum gloriosè extructa, sub cujus antris nidulantem draconem, populisque ac Regioni noxium, exquisito veneno suffocat; ipsemet tumulo terreo, ut etiam nunc apparet, Cracoviam propè illatus. Filio ejus natu majore in Successionem à Patre destinato, Fratre verò suo; Lechus secundus, Graci secundo genitus, rixis & collisionibus, deinde occultis fraudibus interempto; fratricidali manu Imperium capessivit; exosusque, quibus præesse voluit, Sede Ducali detrusus, ingloriè de-

 cessit,

ceſſit, poſteris non primum documentum, raram eſſe Fratrum concordiam. Soror ipſorum unica, Craci glorioſa ſoboles, Vanda dicta; ſucceſſioni Fratrum, Gentisque Lechææ regimini admota, non acui, non telæ, non fuſo, ex natura obnoxia; ubi Rytygerum Germaniæ Principem; caſtimoniam ſuam, quam Diis devoverat, importunè procantem, aliter exſpem voti facere nequit, bello reprimit, ac fugat, dominaturumque perhorreſcens hymenæum, Numinibus ſuis impolluta, equo generoſo viriliter inſeſſo, regalique ornatu compta, de ponte ſublicio, ad Graciam Urbem in flumen inſilit, eique nomen Vandali, ſeu Viſtulæ facit, tumuloque terreo, quo enavigata mortua operitur, Abbatiæ Claræ tumbæ quam propè ſepulta, cognomentum dedit.

Nullo Principum reſtante Succeſſore, iterum duodecim Viralis renovata poteſtas, Palatinis diuturno tempore, & ante, & poſt Chriſtum Natum, ſupremum adminiſtrantibus gubernium, multaque factorum, quâ pace, quâ diſcordiis & ſimultatibus, populorumque gravaminibus ſerie cumulatâ, ad Præmislaum dexteritatis heroicæ Principem, & Virum ex nomine, quaſi de gloria cogitabundum, Imperium delapſum, qui ob memoriam primi Lechiæ Conditoris, Leſco primus vocari voluit. Ex ejus lumbis ſuccedens Leſco ſecundus, & ad Lechum primum, ſuam collateraliter referens originem, & Paternis & Abavialibus inſiſtens veſtigiis, ſtrenuè quâ belli, quâ pacis Virtutibus com-

miſſum

missum sibi administravit Regimen, donec irruentibus in suas ditiones Moravis, exigua non sufficiens Virorum manu, corticibus ex arborum truncis detractis, atque in Speciem Virorum, longo ordine per querceta sudibus obductis, ac in acie situatis, terrore illo, ac si numerosi exercitus, Victoriam & prædam extorsit.

Successit illi Lesco Tertius Filius, stadio Olympico, non jam inter Romanos Hypodromos; sed in campo propè Cracoviam patenti, Ducalem assecutus Mitram. Ab hoc igitur prima Sanguinis SOBIESCIANI Origo, rectâ in Janinos descendit lineâ. Septimus hic à Lecho primo (duodecim Palatinorum per alternas vices in Polonia regentium & Vandæ, excluso dominatu) Orbis Sarmatici Princeps, Regnum quod à Majoribus suis, arctis compendiatum Limitibus acceperat, innata dexteritate fecit maximum, cùm Ferro & Marte, ampliores illius terminos dilatavit. Multiplici liberorum prole beatus, quamvis tunc, cùm delusa gentilium erroribus Deorum Polonia, maledictis turpi idololatriæ cultu serviret Numinibus; Dominum tamen semper gerens animum; adjunctas Lechicæ Monarchiæ Provincias, pulcherrima in Filios partitus divisione. Popielo, natu maximo, regendas utriusque Poloniæ commisit habenas. Pomeraniæ Boleslaum, Barvinum, Bogdalum, præposuit gubernandæ. Inter Casimirum & Uladislaum, Cassubiorum æqua lance divisit Provinciam. Regno Serbiæ, Saxoniæ, Jaxam & Siemia-

num, Supremos imposuit Gubernatores. Sobieslaum Lymæ, seu Limburgi Principem nominavit; qui Urbem Dalem, seu Dalemburgum erexit & condidit. Uratislaum & Spicimirum Ramæ, seu Rugiæ Principatu donavit. Prybyslao, Cessimiro, Otthoni, Ditvoniam, seu Lusatiam, cum aliis partitus est Dynastiis. Premyslao, Zemovito, & Zemomyslo, Marchiam Brandeburgicam: Vislao Magdeburgum: Vissimiro, Vismariam: Sbigneo, Bucowiciam, & omnes illas oras Pruthenicas, in absolutum commisit Regimen, quos postea magnarum Arcium, & Urbium finitimarum, Rathiboriæ, Mekielburgi, Sverini, Giloviæ, Rostochiæ, Verlæ seu Verdæ, Teszyni, aliarumque, uti in Vestphalia, Minden, Limburg, Dillemburg, unde Principes Nasoviæ; famosos Conditores, Orbis Europæus fuit admiratus. Postquam autem major natu Popielus tam heroico sanguine cretus, inertiâ & desidiâ Regimen finivisset, Popielus secundus, paterno dominatui succedens, Civitatem Bremam circa Annum Christi Domini 530. fundavit, dein ob tyrannidem in Cognatos suos, Populumque exercitam funesto & inaudito per Mures consumptu, ex lacu Goplo ad Krusviciam invalescente, suis cum Successoribus inglorie decessit. Hinc reliqui Principes, Lesciano sanguine oriundi, justo metu, ab Imperio Regum Polonorum desciverunt, atque à Polonis sejuncti oris, Germanicis adhæserunt ditionibus.

SOBIESLAUS attamen Regius Princeps Limburgi

gi & Inclytiſſimi SOBIESCIANI nominis, totiusque Nobiliſſimæ Janineæ Proſapiæ Principalis, & prima Origo, Dux Bohemorum factus, cum Olympia, Principis Bojorum Filia, Artemium ex Auguſto thoro ſuſcepit filium; qui Fratribus Patruelibus unionem cognati Regni Lechici deſerentibus, ditiones Paternas pacis bellique induſtriâ auxit, jamque Regnante feliciter in Polonia PIASTO, & plus quàm uno ſuperſtite Sæculo; cum Ludgarda, Thuringiæ Comite, præter femineam ſobolem, in Anno, poſt Chriſtum natum, Sexcenteſimo, Otthonem & SOBIESSIUM ſeu Sobieslaum glorioſorum par nobiliſſimum filiorum procreavit. OTTHO poſtquam in maturam Annis & Virtutibus adolevit ætatem, Auguſto, Romanorum Imperatori, Arnolpho, individuo adhæſit comitatu, & bello Cæſariano contra Svatoplugum, Slavorum Regem, ſupremus præfuit Polemarchus, eumque cum toto exercitu, ambigua diu alternas vices variante fortuna, tandem cruento Bellonæ delevit Chalybe, ipſe quoque poſtea Hungarico proſtratus Marte, conſueta magnanimis Heroibus Marte in campo occubuit præliari. SOBIESLAUS vero Germanis, Pomeraniæ oras, arces, & oppida Poſterorum Leſconis Tertii, hoſtili prædatione diripientibus, Fratrumque ſibi malè cohærentium odia pertæſus, in Patrium Poloniæ deſcendit ſolum, ubi Ziemovito, & Leſconi Quarto, ac demum Ziemovito ſeu Ziemomyslo, Piaſteæ Gentis Principibus, ſeſe adjunxit, quorum ſingularibus ob

impensam fidelem in bellis & consiliis operam, cumulatus favoribus, Magistri Militiæ Polonæ nomen accepit, atque ex Methodia, Lesci Quarti Filia, Svetoslaum unicum generavit Filium. Hic Puer pulcherrimis animi & corporis dotibus exornatus, in Curiam Principis Ziemomysli, Filii Lesci Quarti, Anno Domini 913tio accitus est, & cum MIECISLAO Ziemomysli, Prole Regia, ut Principe dignum erat, educatus, crevit usque ad Regimen MIESLAI; qui Princeps, post relegatas gentilis thori septem concubinas Christianorum suasione Polonorum, DABROWCAM, Christianam Regis Bohemiæ filiam, sociam thori, & Regalis solii duxit. Cùmque naturali privatus Lumine, materno in publicam lucem effusus fuisset utero, vivente adhuc Ziemomyslo Patre, & cum Proceribus suis pro tunc convivante, repentè ad extaticum omnium stuporem, lumen Cœli serenatis ad videndum conspexit pupillis.

Postquam verò ante celebratum cum DABROWCA Matrimonium lustralibus Baptismi fuit ablutus aquis; totum Regnum Poloniæ, & Svetoslaum cognatum suum, in admirabile Fidei Orthodoxæ Lumen induxit, eodemque Svetoslao Adjutore, multas Deo Ter Optimo, Maximo extruxit Basilicas, cursumque Principatus sui ad Annum nongentesimum nonagesimum octavum vivendo perduxit. Svetoslaus quoque, Comes Limburgicus, ductâ in Consortem Zemislavâ Ducis Mazoviæ Filiâ, Joannem procreavit, eumque prius ortho-

thodoxæ Fidei rudimentis initiatum, tandem ad agenda fortia admovit, qui in Bellis Russicis & Bohemicis individuus cum Patre Comes, cor & manum ad bella diuturno usu exercuit. Magnæ indolis & gigantei animi hic gratiosus JOANNES, quamvis ob brevitatem corporis, à suis commilitonibus dictus fuisset JANIK, Maximos tamen & fortiter gestis, & gloriosè exantlatis in arena Martis operibus adæquavit Heroes, & postquam Anno Domini Millesimo octavo, sub BOLESLAO Chrobri, Primo Regni Poloniæ coronato Sanctissimo Rege, præclaros virtute & factis æquavit Viros, Supremusque Exercituum Dux, Marte & Ferro in latepatentes Lechicum Imperium dilatavit limites, ad perpetuum æternæ Famæ documentum, aheneas in ripis Maris nigri, & Balthici, deinde in Sala, Saxoniæ fluvio, infixit Columnas. Heroica namque JOANNIS magnitudo, amplissimis terræ non potuit comprehendi finibus, nisi illius vestigia ferrea, etiam æquoreis impressa undis apparerent. Positis igitur Terminalibus ejusmodi Lechici Imperii Obeliscis, ad prima Regni munia, à piissimo simulque potentissimo Rege, BOLESLAO Chrobri, exaltatus, pro signo aviti sui Stemmatis & æterna, fortium operum memoria, scuto coloris violacei in Campo rubeo, Coronam desuper & pennas pavonicas gerente utebatur, quod Gentilitium Decus à glorioso ipsius Nomine hucusque Janina appellatur, omnesque eodem insignitæ Clypeo Familiæ, in Polonia Ja-

ninowie, ſeu Janini dicebantur, donec tandem triginta & ſex ortæ ex Origine Janinorum Domus, præter commune Janinorum Nomen, à propriis ditionibus & prædiis vocari inceperunt: teſtantibus id Chronographis, Bartholomæo Paprocio, in Theatro ſeu nido Virtutum, Joachimo Bielſcio, Cromero de Origine & rebus Polonorum, Simone Okolſcio, libro Stemmatum Sarmaticorum.

Interea annis & claris in Patriam conſummatus meritis JOANNES, poſtquam omnia, pro gloria & Lechico ſtrenuè egiſſet Imperio, ipſam etiam in cataphracto Bellonæ ſinu egit animam. Ejusdem tamen nominis & heroæ Succeſſorem Virtutis, ex MARGARETHA Fürſztemborg, Comite Stetinenſi, ſuſceptum Filium JOANNEM, Janineæ columen, & grande decus Proſapiæ reliquit, qui propter præclara & ſua, & ſui Genitoris merita, à MIECISLAO, Boleslai Chrobri, filio, Anno ſalutis noſtræ milleſimo trigeſimo, honorifico Celſiſſimi in Bialutowice Comitis titulo fuit adornatus. Ad hanc promotore MIECISLAI favore ſublimatus dignitatem, ſociam maritalis vitæ HEDWIGEM, Comitem Holſtynenſem, Regis Daniæ cognatam accepit, tresque fortitudine & pietate nobiliſſimos in lucem produxit Filios, Andream, Jacobum & Petrum. Horum florida juventus ſub Miecislao eviruit, adolevit ſub CASIMIRO Exmonacho, Rixæ filio. MIECISLAUS enim ſecundus conſummatis Regni ſui novem annis, fatis ceſſit, & triſte Septennalis Interregni interſtitium, diſſidentibus

ad

ad invicem in Rege eligendo reliquit Polonis. Invitatus itaque ad Regalis Solii Lucem ex Asceticis Cluniacensis Monasterii tenebris, CASIMIRUS, Diaconus Sacramento Religionis, & ordinis, à Summo Pontifice absolutus, hæreditarium, Anno Salvatoris Nostri millesimo quatragesimo primo, assumpsit Sceptrum, atque post tot ærumnas, & tempestates, quibus diuturno Interregni tempore obnubilati involvebantur Poloni, amœnam cum optata Pace, Majestati & toti Regno invexit Serenitatem. Andreas verò Janinus in Bialutowice. Comes, CASIMIRI, Primi Regis Poloniæ, castris præfuit, & felicissima contra Moravos, Prussos Jazyges, prælia magnanimus gessit Triumphator, tandem magnus Poloniæ Scipio, Supremus nempe Mareschalcus duo Lechici Regni fulcra, SOBIESLAUM & GEORGIUM ex Anna Granowska, Russiæ Palatinide, susceptos artium liberalium & militarium instructos disciplinis, Sarmatico ad defensionem Regno gloriosos reliquit Successores.

Postquam vero BOLESLAUS audax, sacrilegâ Divi Stanislai Cæde totum Poloniæ Regnum, & omnes ad perpetuum Nominis sui pudorem contaminavit Victorias, tinctamque innocenti Sanguine ex Regalibus humeris deposuit purpuram, nec amplius cruenta Sceptrum voluit gestare dextera, atque, Anno Domini millesimo, octuagesimo primo, ad Amicum LADISLAUM Regem, in Hungariam secessit, ibidemque sive alio quocunque interitu, sive (ut multi volunt) pœnitens

ignotus in Monasterio quodam, dies vitæ suæ finivit, prout Sarniccius suis testatur Annalibus lib. 6. fol. 232. ULADISLAUS primus Hermannus regium Diadema, multis totius Nobilitatis obsecrationibus emollitus, augusto imposuit Capiti. Rex tamen ob metum Fratris, quem adhuc superstitem arbitrabatur, appellari noluit, Romanoque ad titulum Regii honoris obstante Interdicto, Hæres Regni Polonorum vocari elegit. Non diu tamen post Sanguinarium Regem, Boleslaum Audacem, pacifica fuit Uladislai Hermanni Majestas. Inundaverant enim totam Poloniam variæ & turbidæ Bellorum tempestates. Hinc Roxolanus suspectæ semper fidei Gradivus, inde Prutenorum, Pomeranorum, & Bohemorum undequaque irruentes Exercitus, ferro & igne, Regnum Poloniæ populantes, solas Populis ex fumantibus bustis relinquebant favillas, donec SOBIESLAUS & GEORGIUS, Janini gemini, in clypeis Soles refulserunt. Ducem Leonem, ambo Leones magnanimi nacti, Sieciechum Toporeum, Palatinum Cracoviensem; in primos Martis adversi assultus, strenuo iuêre impetu, dumque à mane usque ad noctem pertinax cum Pruthenis & Pomeranis arderet prœlium, inter socias contrariæ Bellonæ mortes solito, Bellatoribus casu, nulli nisi solis gravis hostibus cecidit ad Drenum, usitato vocabulo Drwęcam, fluvium, GEORGIUS, fæcundus magnorum Parens triumphorum, nullam tamen cum Alexandra Olesnicka prolem reliquit. Maxima Heroum proles

les gloria, quam ex ipsis hostium parturiunt mortibus. Uno tamen extincto per ignes Martios GEORGIO, alter in clypeo refulsit SOBIESLAUS, qui post fata ULADISLAI HERMANNI Anno millesimo centesimo secundo, è Vita mortali ad immortalitatem translati, in Exercitu Gloriosissimi Regis BOLESLAI Crivousti varios indefessa fortitudine in arena Martis exantlavit labores.

Mutuam quandam armorum conspirationem adversus Poloniam fecerunt hostes, ut eam ad ultimum deduxissent Exspirium. Moravus moræ impatiens, feroci impetu in Sarmaticas invehebatur acies, hinc præcox Bohemus, inde validior Germanus, unitis viribus Sarmaticorum Heroum pectora excidio involvenda tentabant. Urgebat, & ad meliores animabat ausus, præsentia HENRICI Imperatoris; sed qui per bellicos arietes opimam sperabant prædam, ipsimet in Campis Vratislaviensibus succubuêre, & loco, in quo profligati sunt, Nomen Canini Campi ad memoriam dedêre. Sinistra hæc illorum sors, à dextera Victrice SOBIESLAI cecidit; Brevem sui audaciam imò cupidam pro tunc tributi Polonis imponendi mentem, ferali Clade sua eludi advertit hostis; longa vero Trophæa, prolixus in labore Martiali numeravit SOBIESLAUS, qui Imperatore HENRICO ab infausto in Silesiam revertente prœlio, recenti adhuc profligatorum hostium sanguine madens, Senatoriam à BOLESLAO Crivousto accepit curulem, Palatinusque Podoliæ factus, geminis ex munifica Re-

gis dextera Lublinensi & Lukoviensi dotatus extitit Præfecturis. Vir hic plane in Castris natus, scientiâ militari à primis eruditus annis, ab ipso Martis igne clarus evasit, & quamvis sæpe, ab Anno millesimo centesimo decimo, usque ad Annum millesimum centesimum quadragesimum, in quinquaginta Prœliis, Rege semper Victore, supremus rei bellicæ præfuisset Præfectus, Bellis tamen triumphorum pacifica solennitate terminatis, ultimam ad excolendum patrium Solum apposuit manum. Non semper enim bellatrix Heroum Dextera, capulum militarem, & gravem, ad æternum Gloriæ pondus operandum, Armaturam portare debet, miscenda sunt bellicis laboribus domestica Negotia. Ad eradicanda igitur cessante bello, SOBIESLAUS in Palatinatu Lublinensi conversus Nemora, pulchram Successoribus cæpit venari gloriam, dumque umbrosos everteret è solo Lucos, in Lucem publicam hæreditarias exposuit Ditiones: Nominaque locorum & pagorum, à SOBIESLAO & SOBIESSIO Principibus, Gentis suæ Antecessoribus voluit appellari, utpote SOBIESSINUM & SOBIESKA WOLA, una cum Oppidis ex nova plantatione erectis. Quærenda erat tam digno nectenda Viro, tantæque in Orbe Lechico fortunæ, par dotibus naturæ & fortunæ ad-vitalitia Consors. Sed ipsa Amici Regis suasione, inter Illustrissimas inventa ceras, Comes de Tęczyn, CATHARINA Palatinis Cracoviensis, quæ sicut Vitis abundans in lateribus Domus SOBIESLAI,

qua-

quatuor (præter fæmineam ſobolem) Filios produxit: Alexandrum, Vitoslaum, Conſtantinum & Adalbertum. Pulcherrimus hic decoræ prolis quaternio, in glorioſos procedentibus annis excrevit Heroes. Omnes namque patrio Marti vitam & animas, audaci litantes oblatione, ſub Regibus, ULADISLAO, Anno milleſimo centeſimo quadrageſimo primo, ad ſeptimum, & BOLESLAO Criſpo, in Anno milleſimo quadrageſimo octavo, ad ſeptuageſimum uſque tertium, regnantibus, (ULADISLAUS enim propter exercitam in Fratres tyrannidem, ſummasque innocentis populi oppresſiones, Regno expulſus eſt, & privatus) contra CONRADUM, Romanorum Imperatorem, Boleslao Criſpo infeſtum tunc bellum inferentem, & Uladislaum Exulem, in Polonum inthroniſare ſolium molientem, tum contra Roxolanos & Duces Kiiovienſes, militares in campum Martialem copias, animoſi duxerunt Anteſignani; dumque præcocia CONRADI Imperatoris intervenirent fata, Succeſſor Imperialis throni FRIDERICUS, Uladislaum exulem vi & armorum metu in Lechicam reinducere conabatur Majeſtatem, ſed JANINEÆ Duces Proſapiæ, Imperatorem, cum conſumpto inedia exercitu, fameſcentem, ad ineunda cum BOLESLAO Criſpo pacis fædera jubentibus armis compulerunt.

Æſtimavit juſto Regalis judicii pondere gravia in Majeſtatem JANINORUM merita BOLESLAUS Criſpus, & parem heroicis facinoribus ex auguſto

Throno refundens gratiam, atque gratitudinem, Alexandrum in Senatoriam Palatini Callisiensis evexit dignitatem, & solennibus Nuptiis cum Constantia Zebrzydovia, Castellanide Cracoviensi, conjunxit. Consummavit interea numerosis computatos triumphis vitæ suæ annos, BOLESLAUS Crispus, cui in regium MIECISLAUS Senex, à maturitate morum & gravitate, eo nomine appellatus, successit solium. Verùm rubeo regnatricis purpuræ colore efferatus, decoras in luce Solii crudo Regimine obscuravit virtutes, ideoque non proficientibus Senatorii & Equestris Ordinis monitis, à Regno exulare coactus, ex crudeli Sceptrum, unicum Clementiæ insigne, dimisit dextera. Nemo violenta manu diu Imperium tenuit, nec quispiam benè portavit Sceptrum, qui nimis compressit.

Post exutum regali purpura MIECISLAUM Senem, & à Lechico rejectum solio, CASIMIRUM secundum, cognomento Justum, BOLESLAI Crivousti Filium, legitimum in Sarmatica Corona Regem, venerabundi adoravere Poloni, Anno millesimo centesimo septuagesimo septimo, sub cujus felicissimo regimine, reliqui tres Fratres JANINI, Vitoslaus, Constantinus & Adalbertus, primus Castellanus Callisiensis, alii duo Culmensis & Belzensis Palatini, equestrem suorum Palatinatuum militiam, ad Haliciam, contra Roxolanos, duxerunt Principes, quos animante ad fortia Casimiro Rege, castris & exercitu exuerunt. Et sic nun-

nunquam ſterile Heroum aut Virtutum in Domo JANINORUM fuit ſæculum; naſcebantur mirabili quadam propagatione, ex Bellatoribus Heroes. ALEXANDRO enim, Palatino Calliſienſi, ex Conſtantia Zebrzydovia, duo filii nati, NICOLAUS & VITUS, paternarum veriſſimi Imitatores Virtutum, quos ſtatim à primo Lucinæ gremio, ad Bella gerenda nativa Magnanimitas exercuit. Nicolaus non auro elargiendo, ſed ferro tenendo, Martialem appoſuit manum, ipſoque hoſtili ſánguine decorus, & ſuæ fortunæ Parens, Senatoriam Cracovienſis Palatini promeruit curulem, dum ANDREAM, Belæ, Regis Hungarorum, Filium, admotis ad Arcem Hallicienſem exturbavit armis, & Hallicienſem ULODIMIRIO, Ruſſorum Duci, reſtituit Principatum. VITUS autem ad ſacratiorem Plocenſis Epiſcopatûs Virtute promotrice evectus Infulam, Buſcenſe in Diœceſi Cracovienſi, Vitovienſe in Gneſnenſi, & Plocenſi, partim Viris, partim dicatis DEO Virginibus, in Præmonſtratenſi Ordine Monaſteria, ampliſſimis ſumptibus ædificavit. ADALBERTUS item Janinus Palatinus Culmenſis, Villam Woyciechow à proprio nomine appellatam, cum Curia murata, & quadrata excelſa Turri, tribus Lublino diſtantem milliaribus, erexit. VITOSLAUS Janinus, Caſtellanus Calliſienſis, poſtquam Martio omnes vitæ ſuæ dies ſacravit labori, Virtutibus & præclaris plenus meritis, annoſus magis, an animoſus deceſſit; nulla ad Janineæ augmentum proſapiæ relicta Prole.

CONSTANTINUS Janinus, Palatinus Belzenſis, poſtquam parricidali ſcelere SVATOPELCUS Pomeraniæ Præfectus, LESCUM Album, Regem, in balneo occidit, MIECISLAUS quoque Senex exul, & ULADISLAUS LASCONOGUS Sceptrum Polonorum, partim in Regnatrices aſſumerent manus, partim deponerent; ex THEODORA Zbaravia, CHRISTOPHORI, Ducis in Zbaraz, Filia, vir niveâ canitie & maturo gravis judicio, ad commune Patriæ ſolatium, JOANNEM & STEPHANUM, filios in lucem produxit, ex quibus JOANNES JANINUS, creſcente ſimul cum annis militari prudentiâ, Martiali à teneritudine primæ ætatis imbutus animo, Palatinus poſtea Sendomirienſis creatus, factâ mutuâ ſui Palatinatus armorum conjunctione, cum Varſio Caſtellano, & Petro Palatino Cracovienſi, Leoninum contra Leonem, Roxolanorum Principem, aſſumpſit Spiritum; Litvanosque & illam ſociam in Bello Progeniem venti, fulmenque cruentum, Tartaros, ad pagum Goslice nominatum, igneo ferventis Gradivi extinxit ardore. STEPHANUS par Fratri JOANNI Triumphator, immortalem famæ ſuæ Coronam ex Tartaricis quæſivit Laureis, funeream tamen victricibus palmis intexuit Cupreſſum, dum Regnante in Polonia BOLESLAO Pudico, inter confertiſſima Scytharum agmina fortiter dimicando ad Lignicium ſtrenuus Heros, barbaro efferæ gentis ferro trucidatus, nobiliſſima in Sacrificium Patriæ cecidit Victima, Anno milleſimo ducenteſimo

mo quadragesimo primo. Remansit nihilominus ex STEPHANI lumbis posthumus, JOANNES Filius de Eugenia Kalinovia Palatinide Braclaviensi generatus, qui expletis in pulchro virtutis Tyrocinio adolescentiæ annis, urgente Marte, & stimulante ad fortia gesta magnanima indole, militares inconcussa fortitudine subibat labores, LESCI NIGRI pro tunc Poloniarum Regis, assiduus in Bellis Comes.

Inter quæ, dum idem Rex, cum Fratre suo VISSIMIRO, contra Jazyges & Litvanos, adhuc tum ethnicos, suis ditionibus infestos, vindicem moveret manum, ingentique hostium multitudine perterritus, Numen Divinum sibi tota nocte, Orationibus propitium redderet, ac cæleste in campis prœlio destinatis imploraret Auxilium, apparuit illi Supernorum Exercituum Dux, Divus MICHAEL, Archangelus, clypeum futurum Victoriæ signum, cælitus demittens, & ad aggrediendos hostes fortius animans: quo securior factus, gravi prædâ onustos Gentiles, ad flumen Narviam assecutus, penitus delevit, & velut reliquias Virorum, post cladem BOLESLAO Pudico, Anno Domini 1263. cum CUNATHO, Duce Jazygum occiso acceptam restantes, ultimâ internecione extinxit, ut Nomen Jazygum, in libris tantùm, non in Terris amplius reperiri possit. Igitur feliciter prostratis Hostibus, partaque Victoriâ, in memoriam & perenne gratitudinis monumentum, DEO Adjutori, Statori, Vindici, Liberatori, eodem loci

 ap-

apparitionis, ſub titulo Divi MICHAELIS Archangeli, Eccleſiam Collegiatam in Civitate Lublinenſi, per ſe prius conditâ; nunc Regni Judiciorum primaria ſede, munificentiſſimè erexit, & ad perpetuum cœleſtis Patroni cultum, hoſtium manubiis ampliavit. Quis dubitet ſimili præſagio, ut quondam CONSTANTINO Magno Orientis Occidentisq; Imperatori apparuiſſe Crucem, & in hoc Signo prædictam contra Maxentium Tyrannum Victoriam; Poloniæ quoque Regi, Clypeum Divinitus demiſſum, contra Gentiles adſtitiſſe, protexiſſe, viciſſe? Hac mercede vera Pietas, Divorum oculis placuit, unde VISSIMIRUS, Regis Victoris Frater, loci amœnitate ad Lublinum delectatus, plurimos circum circa pagos, inter quos Villam Pogonow, quaſi ab hoſtibus ibidem fugatis, etiamnum habentem nomen, ac poſſeſſiones reliquas erigere multiplicareque non deſtitit, quibus poſtea in Coronamentum Virtutis, & meritorum JANINEÆ Domus, tanquam Cognatæ ſuis, cum titulis ac denominationibus, tranſcriptis & ceſſis, Schema quoque Cœleſtis CLYPEI ab hoc Principe pro INSIGNI datum; & quamvis ſcutum Regale, nunc in ſua delineatione, ac expreſſione, à primitivo non nihil differat, nihilominus gaudet gentilitium ſuum Decus, ſub Regibus primævis uſitatum, Cœleſti hac apparitione, ſacratum, & confirmatum eſſe. Forte namque Brachium, & dextra Manus in tanto prœlio extitit magnanimo Regi, JOANNES JANINUS, qui hoſtes audaci reſiſten-

ſiſtentes animo, audaciori repreſſit impetu, paucis tunc ex ſuo Palatinatu deſideratis, utque magni pars maxima triumphi, eodem cum REGE veſtigio ad purpuraſcentes recenti hoſtium ſanguine progreſſus eſt LAUREAS, ita à rubea hoſtilis cruoris tinctura, ad Senatoriam Togam extitit Candidatus, dum à Rege dexteritatem Viri, & celſitudinem Generis maturè perpendente, in primum Caſtellani Cracovienſis evectus eſt ſubſellium & glorioſo cum ANNA THEODORA Viſimiria, Sorore Regia copulatus Hymenæo. Unde multi arbitrantur Authores Illuſtriſſimam JANINORUM Proſapiam à Domo Regia LESCI Nigri ſuam deſumpſiſſe Originem, cùm tamen ex Auguſto LESCI tertii proceſſerit Nido, & ſub BOLESLAO Chrobri ducentis quinquaginta antecedentibus annis floruiſſet, antequam LESCUS NIGER Polonum conſcendit ſolium.

Cùm proinde Leſci Nigri dies conſummati eſſent, & Premyslaus; Rex excelſi animi, & in rebus agendis Vir dexterrimus, per inſidias Marchionum Brandeburgicorum crudeli è vita occiſione deleretur, ac poſtmodum ULADISLAUS LOCTICUS, & VENCESLAUS Bohemus, alternas variantis fortunæ experti vices, LECHICUM ſucceſſivè occuparent Dominium, JOANNES Janinus ex Anna lectiſſima ſua Conſorte LESCI NIGRI Regia Sorore, unicum Domus ſuæ ſolatium, Filium ſuſcepit BERNARDUM circa Annum ante Uladislai Loctici mortem, milleſimum trecenteſimum pri-

 mum,

mum, qui juveniles Annos liberalibus erudiens artibus, Regio CASIMIRI MAGNI, Filii ULADISLAI LOCTICI, adhæſit lateri, ibidemque Pacis & Belli ſcientiam ab Exemplis magnanimi Principis didicit, & poſt multa Bellorum diſcrimina geſtasque in militia Dignitates, ante Annum milleſimum trecenteſimum ſeptimum, à CASIMIRO Magno, Magni Cancellarii ſigillum, & titulum accepit; duxitque in ſociam vitæ Conſortem, THEOPHILAM Tarłowna de Gente Toporeorum, Joannis Tarło, Palatini Sendomirienſis, nobiliſſimam Filiam, cum qua poſt duodenne LUDOVICI Hungari Imperium, quinque generatos Filios, PETRUM, ALEXIUM, JACOBUM, STANISLAUM, VENCESLAUM, bono publico dedit; ipſeque circa Annum, milleſimum, trecenteſimum octuageſimum quartum vivere deſiit. Quinarius hic Fratrum Janinorum numerus, vaſtos magnarum Virtutum implevit Annales, dum regnante feliciter in Polonia per quinquaginta duos annos, ULADISLAO Jagiellone varia bellorum pericula heroo ſuperarunt Animo.

Triplex offerebatur in arena Martiali hoſtis, Ordinis Teutonici Crucigeri, Germanis Pruthenisque immixtis tumidi, & ipſa pro tunc Apoſtaſiâ feroces ad Ginevaldum decretoriâ acie decertantes, qui virile Heroum non minuerunt, ſed auxerunt Robur, & quamvis mixtis utrinque certatum ſit Vulneribus, ex trina tamen Martis adverſi Clade, numeroſiores eviruerunt laureæ fertilio-

tilioraque ex ſuperato multiplici hoſte aſſurrexerunt Trophæa. Nec ſuis Bellatorum Virtus caruit Præmiis. PETRO enim, à publico Regni claves traditæ ſunt Theſauro, cum Capitaneatu Sendomirienſi, & aliis annexis Præfecturis. ALEXIUS Succamerarius Regni, JACOBUS Dapifer, à munificentiſſimo creati Rege, STANISLAUS Belzenſem, VENCESLAUS Horodlenſem, ultro ſe in donum ingerente affectu Regio, acceperunt Præfecturam. Exigebat tantorum Heroum Virtus & claritas generis, pares nobilitate & virtute in ſocietatem vitæ maritalis, fœminas, ideoque in Conjugem advitalitiam; PETRUS, Theſaurarius Regni, Comitem de Bnin Opaliniam, Palatini Poſnanienſis accepit Filiam; ALEXIUS Anaſtaſiam de Granow, Georgii Sieniawſki, Caſtellani Leopolienſis lectiſſimam Prolem; JACOBUS, Tereſiam, Herburti Odnowski Capitanei Cracovienſis unicum decus; STANISLAUS Alexandram Joannis Czarnkowski, Palatini Lancicienſis, digniſſimam Palatinidem; VENCESLAUS pretioſam Petri Odrowazii, Palatini Ruſſiæ, Margaritam, maritalibus ſibi thalamis intra ſolennes Nuptiarum pompas Conſortes ſociarunt. PETRUS Janinus cum Chriſtiana Opalinia, Chriſtophorum & Salomeam: ALEXIUS cum Anaſtaſia Sieniavia, Procopium & Timotheum, Juſtinam, & Eugeniam: JACOBUS cum Tereſia Herburtowna, Hedvigem & Demetriam (quæ in Virgineo innocentiæ flore deceſſerunt): STANISLAUS cum Alexandra Czarn-

 kow-

kowska, Martianum: VENCESLAUS, cum Margarita Odrowazia, Demetrium, nobiliſſimas Proles genuerunt. Non omnes tamen præfati Heroes, qui magna Regni ſperabantur columina, in Vita ſuperſtites permanſerunt, nonnulli enim in fraudulento Valachorum bello, per JOANNEM ADALBERTUM Regem Poloniæ, adverſus STEPHANUM, Moldaviæ Palatinum infeliciſſimè geſto, Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo, ſexto, funeſto interitu ceciderunt. Juſtina verò & Eugenia, moribus & virtutibus ornatiſſimæ Alexii Filiæ, Illuſtriſſimis Viris, Domitio Tęczynio, Comiti, & fortunato Samotulio Poſnanienſi & Pomeraniæ Palatinis, ſunt elocatæ. Sed tantorum Virorum proles quæ ad ſumma honorum Culmina illis temporibus excretura ſperabatur, cum omni totaliter Stemmate extincta, ac tandem oblivioſo cum ſuis dignitatibus ſepulta eſt Cinere. Nam horum Procerum in Scripturis terreſtribus & libris inventa eſt Gloria, Nomina verò in terris (DEO ſic mirabiliter ordinante) amplius non ſunt reperta.

MARTIANUS verò, Stanislai Janini Filius, Podoliæ Palatinus, temporibus Regum Poloniæ ALEXANDRI & SIGISMUNDI Jagiellionidarum, primo contra Moſchos, ſub Nicolao Firleio Palatino Cracovienſi, Supremo Exercituum Duce, militares ſui Palatinatûs duxit in campum præliarem copias, magnumque Virtute ſuâ victoriæ ſuffragium dedit; dum Patriam & ab hoſtibus & ab

in-

incursu strenuè liberavit. Tanta fuit inter JANINOS bellicæ fortitudinis contentio, armorum desiderium, Patriæ amor, militarium laborum insuperabilis patientia, ut etiam DEMETRIUS Janinus liberaliter convocatâ ad defensionem Regni Juventutis Polonæ non exigua Manu, cum Constantino, Ostrogiensi & Zasłaviensi Principe, pro tunc supremum armorum jus tenente, fortissimo ad Visniovieciam cum Tartaris dimicaverit prœlio, ubi viginti & quatuor millia gentis prædatricis, & fugitivæ in acie cruenta ceciderunt: Numerus verò captivorum quotquot erant, pristinæ restitutus libertati; prout manifestum exhibent tantæ Victoriæ testimonium Cromeri, Sarnitii, Bielscii, aliorumque de gestis Polonorum Annales. DEMETRIO itaque Janino tantæ Victoriæ Succollaneo, Constantinus Dux in Ostrog, Supremus in Polonia & Lithuania Exercituum Moderator, amicum advitalitii amoris vinculum, Filiam suam virtute & corporis formâ conspicuam, SOPHIAM SIDONIAM, consortem dedit, quæ præter cæteros liberos immatura morte sublatos, Viro suo, aviali nomine & virtutibus insignem genuit CONSTANTINUM. Nec sterile fortitudinis in MARTIANO Janino, Palatino Podoliæ, Demetrii Fratre, pro tunc fuit sæculum, qui postquam Nobilissimæ prosapiæ Stanislai Koniecpolski, Palatini Bracłaviensis, in communis vitæ consortium Filiam EUDOXIAM sibi sociaverit, Martis tamen & fortis in acie Viri negotia non deseruit, ac pro tunc SI-

GISMUNDO AUGUSTO feliciter Poloniam gubernante, usque ad Regnum STEPHANI BATHOREI, cum ſua Eudoxia proſperum vitæ protraxit curſum, eidemque Regi, contra Moſchoviticas acies, & rebellem Gedanorum ſeditionem, Vir magnanimus ad hoſtes profligandos, individuo adhæſit Comitatu, ſimulque bellicis laboribus, & Vitæ poſuit terminum; unicumque filium, præter aliam prolem immaturâ morte extinctam, VINCENTIUM reliquit. CONSTANTINUS etiam Janinus, Demetrii Filius, ex Sophia, Duce Oſtrogienſi, genitus, ſub SIGISMUNDO, Joannis Sveciæ Regis, & Catharinæ Jagielloniæ Filio, Polonorum Rege, Vir eruditione atque ſapientia inſignis & Martiis glorioſus operibus, titulo Procancellarii Regni decoratus, multa internarum & externarum Legationum ac Commiſſionum negotia ad mentem Regis & Regni feliciter expedivit. Cui poſtmodum, Nobiliſſima Virgo Tarnovia JOANNA, Joannis amor Tarnowski, Capitanei Cracovienſis Filia, fuit in matrimonium elocata; quæ PROCOPIUM in lucem publicam feliciſſimo partu enixa eſt Filium; qui meritorum magnitudine matureſcens, ab eodem Rege Palatinus Kiioviæ nuncupatus, cum FEBRONIA, Petri Sanguſzko Lubartowicz, Ducis Koſzyryenſis, Caſtellanique Bracławienſis eximia Sobole, SEBASTIANUM SOBIESKI hoc vocabulo nominari cœptum progenuit; quem poſtea ob eximia in Rempublicam merita, Regni Vexilliferum SIGISMUNDUS Tertius Rex Poloniæ dixerat. At-

Atque hæc eſt Originativa SOBIESCIORUM à SEBASTIANO SOBIESKI denominatio, cujus veritatis maximum præſtat documentum, Diploma Regium ejusdem SIGISMUNDI Tertii, poſt fata SEBASTIANI, STEPHANO Snopkowski Varſaviæ, Die decima Martii, Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo quinto, ſuper Officium Vexilliferi Regni conceſſum. Multis enim temporibus Polonæ Familiæ à ſuis Gentilitiis vocabantur Stemmatibus, ut Toporei de Tęczyn, de Pilcza, de Czekarzewice, de Brzeſcie, donec à Nido & Poſſeſſionibus propriis vocabula mutuarent, ut Pileccii, Tęczyńſcii, Tarnowſcii, SOBIESCII, Zołhiewſcii, & aliæ usque ad præſens tempus Polonorum Proſapiæ. VINCENTINUS verò SOBIESKI Duce JOANNE Zamoyſcio, Supremo armorum Præfecto, & magno belli ad Rigam in Livonia Moderatore, contra CAROLUM, Sudermanniæ Principem, cum Svecis ardentiſſimè dimicando, Regi Regnoque Victoriam morte ſua heroica peperit: Nec ullam prolem Domus Inclytæ reliquit hæredem. At SEBASTIANUS Janinus, in Sobieſzyn SOBIESKI Vexillifer Regni, cum Cæcilia Lankoronska, Palatinide Podoliæ, decorum Virtutibus Filium MARCUM, primò Caſtellanum, poſtea Palatinum reliquit Lublinenſem.

Heroicam Viri iſtius indolem, STEPHANUS BATHOREUS, Poloniæ Rex, adeò æſtimaverat, ut pluries dixiſſe audiretur: Si totius Regni fortuna, unius duelli aleæ, ut quondam inter Al-

banos, & Romanos; de ſumma Rei, trinis hinc, & illinc Fratribus certatum fuit, committenda esſet; Nemini melius, hoc Heroe confideret. Author eſt Heydenſteinius, & alii geſtorum Poloniæ Scriptores, ipſius induſtriâ & perſpicacitate partam fuiſſe Victoriam, de MICHAELE, Moldaviæ Dynaſta, per JOANNEM ZAMOYSCIUM Magnum Poloniæ Cancellarium & Supremum Exercituum Regni Præfectum, ad Telezynum amnem profligato, loci enim oportunitatem, quâ in hoſtem iretur, penitus conſideratam, Duci ſuo monſtravit, & certum Victoriæ, prout comprobavit exitus, reddidit. Avocato demum bellis Livonicis ex Moldavia ZAMOYSCIO, ipſe tuendæ Provinciæ cum reliquo præfuit exercitu. In Pruſſia denuò ſub eodem STEPHANO Rege ad Dirſchaviam, rebellibus Gedanenſium objectus copiis, tanto Martis ardore in oculis Regis rem gesſit, ut fractis profligatisque Rebellibus; Ducem ipſorum fugâ in Viſtulam conjectum, ipſe totus cataphractus medio aſſecutus alveo, interemerit. Itaque poſt fortia geſta, nobiliſſimam Virginem STEPHANI Snopkowski Regni Vexilliferi, poſt Caſtellani Præmyslienſis Filiam, in Sociam Vitæ Maritalis nactus, prout id literæ pergameneæ, & Privilegia Regia in Archivo Arcis ZOLKIEVIENSIS extantia, teſtantur, inclitiſſimum Regni Sarmatici Columen, magnæ pietatis & in rebus tam domi, quàm foris gerendis, ſummæ prudentiæ Virum, JACOBUM SOBIESKI, & Filias ſex procrea-

creavit, quarum prima, EUGENIA, LUDOVICO GONZAGÆ, Marchioni in Pinczow Myſzkowski, Cracovienſi; altera SOPHIA, CAROLO Czarnkowski, Poſnanienſi; tertia TERESIA, JACOBO Radzieiowski, Lancicienſi; quarta ANNA, NICOLAO Wodynski, Podlachiæ Palatinis; quinta JULIANA, JACOBO Wieſiołowski, Magni Ducatus Lithuaniæ Mareſchalco, elocatæ; ſexta MARIANA ſacratiorem amplexa Vocationem, Ordinis S. Benedicti in Conventu Grodnenſi Abbatiſſa facta; omnes, quâ pietate, & ſanctimoniâ, quâ integritate Vitæ, & modeſtiâ, quâ in Conjuges fide, amore & honeſtate, celeberrimæ. Primo deſtitutus thoro, poſt fata ſuæ Conſortis; alteram, Comitiſſam de Tęczyn, Vetuſtiſſimæ & præclaræ in hoc Regno Familiæ Viraginem ſibi copulaverat; ex qua binam prolem, JOANNEM ſcilicet, & HELENAM ſuſcepit, ſed hæc Juventutis ac Domus ſuæ decora immaturum extinxit fatum. Ergo unico tantum glorioſus filio, duas illi Præfecturas, Craſnoſtavienſem, & Javorovienſem, Regia annuente gratia, reliquit.

Non minor hic magnanimo Parente JACOBUS, cujus tenerior ætas bellicis enituit Facinoribus. Prima etenim militiæ Rudimenta, ſub SIGISMUNDO Tertio, Rege Poloniæ, in Moſchoviæ deponens Imperio, cataphractas illi cohortes, ære paterno authoratas, tam inſigni haſtatorum Numero conduxerat, ut & Viris Martialibus, & armorum ſplendore decoratæ, aureæ paſ-

ſim vocitarentur, ibique in ipſa Sedis Moſchoviticæ violenta aggreſſione ſaucius, magnæ ſpei Domus ſuæ, & Reipublicæ præluxit. Sed Togatis Conſiliis Virum hunc requirentibus, primùm ad Civitatem Kurükowo, in Ukraina, Coſatici, deinde in Livonia, Suetici, avocavêre Tractatus, quibus egregiè compoſitis, tandem à ULADISLAO Quarto, Poloniæ Rege, extraordinarium Legatum, Monaſterienſis de Pace in Europa ſtabilienda congreſſus ſpectavit, & ſuſpexit; Reſpublica POLONA, quaternis vicibus exemplo hucusque inaſſequibili Tribunitiâ poteſtate gloriosè perfunctum admirata eſt. A publicis revertenti laboribus, quid honeſtius? quam Uxorium levamentum. Itaque Virtutibus & nobilitate illuſtrem, ne bono, & commodo Patriæ deeſſet; ſociavit ſibi Uxorem, non ſolùm pervetuſtæ Ducalis, verùm etiam Regiæ Proſapiæ Mulierem MARCIANAM, Ducis in Zbaraz & Wiſniowiec, HIEREMIÆ Korybuth, Ruſſiæ Terrarum Palatini, Viri ſuo ſæculo, contra quos vis Poloniæ hoſtes bellicoſiſſimi, atque Imperatoriis artibus eminentiſſimi Filiam; cujus Genus magnanimum ſi ſpectes, Andreas & Demetrius, Korybuthi, ULADISLAI Jagiellonis Regis, & Magni Ducis Lithuaniæ, germani fuêre Fratres, qui ab ingenti TAMERLANIS, Scytharum Principis, exercitu; VITOLDO Duce infelici, cum hoſte acie decertante, ad fluvium Vorſkla Anno 1499. deleti ſunt: SIGISMUNDUS verò KORYBUTUS Anno 1420. ſolium Bohemorum

rum purpureus aſcendit Regnator. MICHAEL autem ætate noſtra concordibus Polonorum electus votis, LECHICAM ſupremus Dominator conſcendit Majeſtatem. Alter verò Demetrius, & Conſtantinus de hac inclyta Stirpe, Duces in Zbaraz & Wiſniowiec, Korybutii Fratres, ille Kracovienſis Caſtellanus, & Supremus Regni Exercituum Præfectus; hic Belzenſis Palatinus, Sororini MARCIANÆ, geſtis in Republica muniis, quâ bello, quâ paceglorioſi inclaruêre.

Tantis Nominibus aſſociata Illuſtriſſima SOBIESCIORUM Domus, conſanguineas Magnorum Regum fecit ſibi Purpuras, documento, quod Regnorum Dominos & LECHÆA ſceptra tenentes, feliciſſimo partu eſſet genitura Nepotes. MARCIANA tamen Wiſniowecia, non longos cum JACOBO Vitæ maritalis numeravit annos, nec ullam ad SOBIESCIANÆ Familiæ, licet bis enixam, prolem relinquens, felici termino mortalem finivit Vitam. Quantò verò eam vivam, JACOBUS amore proſecutus fuerit, quanto mortuam uſque ad Sepulchrales Umbras deduxerit dolore, Liber geſtorum ejus manuſcriptus, in Arce ZOLKIEVIENSI aſſervatus teſtatur. Poſt ſterilem Principis Wiſniowiecciæ deceſſum, alteram ſibi JACOBUS duxit Vitæ Sociam, nimirum THEOPHILAM Daniloviciam, cujus quanta fuerit in DEUM pietas, quantus Religionis Chriſtianæ amor, quantus in Sanctos affectus, Baſilica Venerabilium Fratrum Ordinis Sancti Dominici in Civitate ZOLKIE-

VIENSI, una cum Cœnobio, magnifico extructa ſumptu, teſtimonium perhibet, in cujus facie imago DIVÆ VIRGINIS Antiochenæ, THEOPHILÆ depicta, oculos in admirationem rapit Spectatorum. Varias poſtmodum JACOBUS dignitatum, utpotè Belzenſis & Ruſſiæ Palatinatuum conſcendit curules, quem diſertiſſimum Oratorem, Turcarum Imperator; Romanus PONTIFEX, eloquentiſſimum Tullium; Rex Galliarum facundiſſimum venerati ſunt Demoſthenem; ac tandem Polonia, Supremum Senatorem, Caſtellanum Cracovienſem, eminuiſſe gaviſa eſt.

In qua conſtitutus dignitate, poſt heroica Belli Paciſque facinora, dum ipſemet Oſmannus, Turcarum Imperator quadringentis Virorum millibus ex toto Oriente conflatis, Regnum Poloniæ, ſpe ſubjugandi, ad Chotimum in Valachia aggrederetur, integroque bimeſtri, quâ prœliis, quâ velitationibus, quâ nocturnis per Coſacos Zaporovienſes ſuperventibus, cum illo luctatum, & tam mordicus decertatum eſt, ut Pacis cum Polonis, quam ipſe violaverat, renovandæ omninò adigeretur; hic JACOBUS à SIGISMUNDO Tertio, Rege Poloniæ, univerſaque Republica; & rei cum Turcis gerendæ, & Pacis, ſi occaſio daretur, ſanciendæ, ſumma cum Poteſtate & pleno Arbitrio. Delegatum Commiſſarium egit, horrendumque illud Bellum, fœderibus ſtitit, & Commentarium rerum illinc geſtarum per ſe confecit, Prœloque mandavit. Inter cætera verò Virtutum decora, etiam

etiam eximiæ pietatis, & fidei Orthodoxæ gloriâ inclaruit, maximè quando apud Illuſtres, generique ſuo Affines; Sectæ tamen Lutheranicæ & Calviniſticæ deditos, Czarnkovios & Zborovios, pro tunc enim præter Schiſmatum ſuorum Virus, Ruſſia etiam prædictis novitatibus indulgere videbatur, Oppida & Villas, Złoczow Pomorzany, Zborow Jezierzyn, ipſo zelo promovendæ fidei Catholicæ ductus, coëmit, & in hæreditarias ſuas adjunxit poſſeſſiones, ac verum Religionis Orthodoxæ introduxit cultum, dum Præpoſitos, Parochos, Altariſtas, aliosque zeloſos Divinæ Gloriæ inſtituit Promotores; quos ampliſſimis ditavit proventibus, Eccleſias ad ultimum inclinantes lapſum reſtauravit, alias ex nova Radice à fundamentis erexit, honoris Divini per Orationes vocales promovendi modum deſcripſit & ordinavit; Sacerdotes ad augendam DEI, Ter Optimi, Maximi gloriam, & Seriam animarum curam, ordinatione Manupropriâ ſcripta obſtrinxit.

Nec defuit magnorum Remunerator beneficiorum DOMINUS, cum ſingulari auxilio, qui munificentiam piiſſimi Viri cœleſtibus refudit gratiis. Cùm enim Filius ſuus primogenitus, ex Theophila Daniłovicia ſuſceptus, quaſi dextra tanti Patris pupilla, MARCUS SOBIESKI, adhuc tum minorennis, nihil proficiente ſollicita admodum Medicorum cura, jam pænè deſperatæ Sanitatis in lecto decumberet, inſtante verò piiſſima ægrotabundi MATRE, Sanctiſſimum Euchariſtiæ

Sacramentum allatum esset, in primo Sacerdotis ingressu, puer ex lethali sese proripuit languore, & quasi ad pristinam redanimatus prosiliit Vitam. Attonitus novo miraculo piissimus Parens, in vim gratiarum actionis pro collato cælitus beneficio, Confraternitatem Sanctissimi Sacramenti in Basilica Crasnostaviensi, mira devotione erexit. Sed ad magnæ & vetustissimæ in Regno Poloniæ Prosapiæ, maternam SOBIESCIORUM lineam producentis descendendo originem; hæc THEOPHILA ex heroicis Daniłoviciorum processit cunis; quorum si gentilitium Stemma, curiosa investigetur indagatione; Patritium insigne pro gloria Gentis suæ, Lunam habet albam, cornibus sursum obversam, Stellas aurei coloris ad cornua tenentem, medium Lunæ Gladium quatit, sagitta cuspide prægrandi ad sidera directa. Campus est sanguineus & Corona pavonis cauda onerata, per medium sagitta apparet. Si avita præclaræ originis quærantur Primordia; ex Saxonia primi tanti sanguinis fontes promanarunt. Daniłowicz etenim post triumphales in Saxonia Victorias, & excelsa merita, Stemmate insigni sat decoratus, in Hungaria postmodum militaribus palmis ad coronamentum Gloriæ suæ evirescens; Regni Thesaurarius creatus, continua recepit Præmia, sicut in aureis Hungarorum apparet Nummis, ubi arma Sas pulchræ conspicienda exhibentur visioni. Hinc Russiam Rubeam repetentibus Ducibus, post COLOMANNUM, Haliæ Regem; Huyd Comes de hac Familia

lia præstantissimus militiæ Dux, ad DANIELEM, Ducem Russiæ cum numeroso advenit Exercitu; cujus Banderium tali erat Stemmate notatum, atque desiderata militiæ obsequia, contra Duces Regesque Poloniæ Sendomiriæ retulit, quem altis clarum meritis, Rex Russiæ DANIEL, cum propria Consanguinea, vinculo matrimonii adstrinxit. Hæc dum feliciter genitum edidit in lucem Filium, Rex Puerum in baptismo nomine Danielis insignivit, à quo in posterum Nomine Patrio, Daniełowicii, usque ad hæc tempora fuerunt nuncupati. Longa igitur Daniełowiciorum genesis, in Regno Poloniæ propagata generatione; usque ad JOANNEM Daniełowicz, Palatinum Russiæ, Theophilæ Patrem pervenit, qui cum lectissima Virgine Krasinska, Podoliæ Palatinide, filias duas nactus, primam Koniecpolio, alteram Firleio, Viris in Republica summos honores & munia gerentibus elocavit. Secundo verò Voto Sophiam Zolkiewska, Stanislai Zolkievii, Supremi Regni Cancellarii & Exercituum Poloniæ Præfecti, Filiam, ex Regina Herburtowna procreatam, maritali sibi copulavit vinculo. Et profectò patuit heroicus Sanguis JOANNIS Daniełovicii ac SOPHIÆ Zolkiewska, dignorum Conjugum in Filio STANISLAO; ac Filiabus binis, Theophila, atque Dorothea; quarum eximias dotes, ac Virtutes, ne cursus lineæ Avialis intermittatur, suo loco memorare licebit.

Nunc jam ad Martiales memorati Cancellarii,

& Ducis bellicosissimi ZOLKIEVII descendendum Virtutes. Cujus teneriorem ætatem non sine Prodigio innuere fas sit. Infantem adhuc in pomœrio cujusdam prædii Turinka dicti, à Civitate ZOLKIEW per ipsum, post erecta, uno tantum milliari distantis, & hucusque existentis, incuria Nutrix relictum, ardoribus Solis exposuerat; redux cum pedissequis; deprehendit grandem, sed incognitam Alitem, quæ Pusionem ab illo Solari torrore, expansis veluti protegens Alis, venientium strepitu in altum demùm evolaverat. Adolescentiam nactus, varios contra hostes bellavit, ad BYCZYNAM præsertim in Silesia; ubi dextro Cornui contra MAXIMILIANUM, Austriæ Archiducem præfectus, pertinacissimè pugnans glande plumbea ictus; & pati & fortia agere addidicit; nec ad cruorem erubuit. In Livonia ad Revaliam, Duce Reinholdo Arnep, Comitis Nassovii Vicario, Sueci Esthonesque ab illo profligati, deletique ac ipso Reinholdo interempto, castris, tormentis, omnique bellico Apparatu exuti: Cosacos Zaporovienses, cum suo Duce Naliwaycone rebelles, armis domuit, ipsumque Vivum Regi SIGISMUNDO adduxit; pacemque cum Turcis, sæpius à Cosacorum incursionibus turbatam, æquis pactionibus, sua Prudentia, ac dexteritate restituit. Scytharum incursiones in Campis Orininensibus, non procul Cameneco Podoliæ, lectissima cum militum Procerumque manu fortiter repressit. Ad Oppidum Bussam, circa confluentem Tyræ, Mo-

rachnæ-

rachnæque ſitum, cum Skindero Baſſa Turcici; Tartarici; Tranſylvanici, ac Valachici exercituum Præfecto, Pacis fœderibus bellum glorioſe terminavit. Ejus ductu ſubjugata Moſcovia, prius ad Oppidum Karowo; Volvievio, ac Jelocio, Ducibus Moſcoviticis; deinde ad Cluſinum Suyſcio BASILIO, Moſchorum pro tunc Imperatore, ac Demetrio ejus fratre, ultra quadraginta millibus equitum peditumque de Moſchis; de Gallis verò, Anglis ac Suecis ſub Ducibus Hornio, ac Ponto de la Garde, ſtipendiariæ militiæ deditis octo Virorum millibus; ſubnixo profligatis, & cruento Prœlio in fugam diſſipatis; ipſoque BASILIO ac Demetrio, & Joanne Suyſciis, Fratribus in captivitatem ductis, ac Regi SIGISMUNDO Varſaviæ pro Triumpho præſentatis; Altero verò Moſchorum Duce, Demetrio Impoſtore, Imperium illud ſibi uſurpante, ac ipſam Moſcoviæ Metropolim, totis Viribus arietante, & ad deditionem cogente; per Ducalem Imperii Sedem, Exercitu Polonorum transducto fortiter repreſſo, ac in fugam conjecto; Monarchiam illam ULADISLAO, Regio Poloniæ Principi, in dominium aſſeruerat: Et quamvis à Proceribus Moſchoviæ, Statibusque Univerſis, pro ſupremo Duce eligeretur, hac populorum inclinatione non accepta, REGI ſuo, ejusque Filio ULADISLAO, fideliſſimam potiundi Imperii navavit operam, quatuor non niſi Haſtatorum millibus; Peditibus Hungarorum ducentis, Tormentis binis, & levioribus ar-

maturæ duabus Cohortibus tantum bellum, tantamque edomandæ Monarchiæ molem aggressus. Nec minoris prodigii fuit fides illius Regi SIGISMUNDO, in bello civili vulgo Rokosz, probata. Bellanti enim ad Gurowo; cum Zebrzydovio, Palatino Cracoviensi, Rokossianorum Duce, cujus Uxor de domo Herburthæa, germana erat Soror Consortis Zolkievii, præsto cum Exercitu affuit stipendiario & vincenti in campo Regi per ipsius fortissimam dextræ aciei hostilis repressionem, atque nonnullis Proceribus, ut REX fugato ferro ad internecionem persequeretur, suggerentibus, Majestate honorifice observata, illud gloriose respondit: Civium fugientium, parceret Sanguini, dum rerum suarum securus esset.

Hæc fortia illius pro Rege & Republica Polona fuêre gesta; cum Palatinum Kiiovienſem, atque Campestrem Exercituum Regni sustineret Ducem, Supremus Cancellarius & Militiæ Polonæ Imperator ac Russiæ Palatinus, imminentia à Turcis pericula Regno Poloniæ; utpote quæ Orbi Christiano formidanda Juvenis didicerat, sagaci Prudentia & præviderat, & ad amolienda sui maturitate Consilii non defuerat. Etenim JOANNI ZAMOYSCIO, Supremo Poloniæ Cancellario, & Exercituum celeberrimo, sub Rege STEPHANO Bathoreo, Duci, Sanguinis nexu devinctus ob virtutem & singularem eruditionem consiliique maturitatem ab illo Principe tantoperè adamatus fuerat, quamvis in ætate juvenili, ut inter quatuor, qui

tan-

tantummodo conſcii fuere ſecretioris contra Turcas moliminis, bellique apparandi, promovente tunc negotium Sixto Quinto, Pontifice Maximo, cumque Rege ac Principibus Chriſtianis per Legatos conferente, ipſum etiam eſſe voluerit, prout ejus literæ, dum ultimæ in Valachiam contra Turcas expeditioni ſeſe accingeret, ad SIGISMUNDUM Regem ex confiniis Regni exaratæ, ac planè valedictoriæ, palam obloquuntur.

Gratianus, Valachiæ Princeps, huic bello facem prætulerat. Ultro enim in Regis Reiquepublicæ clientelam ſuis cum Populis ſeſe dedens, Monarcham Chriſtianum, qua precibus, qua auxiliorum ac Commeatuum pollicitationibus impulit, ut STANISLAUM Zolkievium retinendæ firmandæque delegerat Provinciæ, ad quam ex Voto Reipublicæ manutenendam, dum Sigillo Regni Zolkieviæ relicto, bellicum moveret apparatum, & quieti meridianæ, uti ſeptuagenario major, per ſomnum indulgeret, apparuit cœleſte Phænomenum ſupra Civitatem Zolkieviam, digladiantis quaſi inter ſe ignei Exercitus; hoc Prodigio, per ſuos Familiares expergefactus, ut horrendum illum in aere aſpexit Congreſſum, ſupra Caput ſuum devolvendum præſagiit. Nihilominus juſſis Regiis morem gerens, mordacique Invidiæ ſubtrahens vela, Valachicarum copiarum certus, ſex millibus tantùm Polonorum ſubnixus, in illam infelicem deſcendit aream. Ingruentibus namque quinquaginta Turcarum, totidemque Tartarorum millibus,

horum Dautel Gierejo, illorum Skinderbaſſa, Du-
ctoribus; Gratiano verò, ſuis cum Valachis perfi-
do, ac demum fugitivo, integro octiduo, inquies
& inſomnis cum toto Exercitu, jam velitationibus,
jam prœliis, jam diurnis nocturnisque per Scythas
continuis aggreſſionibus impar, dum pertinaciſſi-
me reſtitiſſet, Turcasque veluti deſperabundos
rei, repreſſiſſet; à Kantimiro Murza, quod No-
men, ferrum ſanguineum denotat, famoſo Tarta-
rorum Bellatore, & Roxolaniæ infami prædone,
immanique multitudine Scytharum, & quod omni
periculo maximum; lixarum Caſtrenſium ſub
ipſum belli æſtum, ſeditione orta, currusque Du-
cum ſuorum dirripiente; oppreſſus in Campis, Ce-
cora nuncupatis, ſuccubuit. Filius ejus JOAN-
NES Zolkievius, ex Regina Herburtowna proge-
nitus, Theophilæ Daniłoviciæ Frater, cum Fratre
ſuo Patruele, jam lethaliter ſaucii; ſalvando IM-
PERATORI, rem ferro manuali, & pedes gerenti;
ſubmiſerant equos: quibus ille ſpretis, imo inter-
fici juſſis, magnanimo effato ſuam ſolatus viciſſitu-
dinem: IMPERATOREM ſtando oportere mori, re-
ſpondit, ibique Paſtorem, ubi diſſipantur oves,
occumbere, ne quæratur poſtmodum, qualiter di-
ſperſæ ſint.

Hac victima glorioſè in Acie cadente; JOAN-
NES Zolkievius Filius, Rubieſzovienſis; & Lu-
cas ex Fratre IMPERATORIS Nepos, Kałuſſien-
ſis Præfecti; vulneribus hoſticis cruenti, cum STA-
NISLAO KONIECPOLIO, Imperatoris Genero, cir-

ca

ca fata hæc, jam Campeſtri Clava à Rege, SIGISMUNDO, decorato, captivitatem; Primus Scythicam, reliqui duo, Turcicam, Conſtantinopolim abducti ſubiêre, quo & Caput Imperatoris ZOLKIEVII, tota die prius Palo ferreo præfixum & ante Tentorium Skinderbaſſæ ſpectatum, mox ipſi Orientis Tyranno transmiſſum. Quod cum ferali Spectaculo, diu Turcicos paviſſet oculos, à REGINA HERBURTOWNA, Conſorte Vidua derelicta, magno lytro redemptum, in Civitatem Zołkiew à ſuo Nomine dictam, & Eccleſia Parochiali, ac inſigni Præpoſitura, Arceque decoratam, aſportatum, cumque Corpore generoſo compoſitum, tumulo per ipſum condito, illatum eſt; ſepulchrali Monumento Inſcriptione appoſita: Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus Ultor.

JOANNES namque ZOLKIEVIUS, Rubieſzovienſis Præfectus, Patris bello interrempti ac Matris lachrymabundæ Filius, poſt ingentem Pecuniæ ſummam in vim Lytri Scythis perſolutam, pro qua excudenda, Monetariæ Officinæ apertio, lege publica DOMUI ZOLKIEVIANÆ permiſſa fuerat, ab illa Captivitate redux, Cicatricibus Vulnerum, incommodo viarum recrudeſcentibus, inter meditamenta vindicandi ſanguinis Paterni, brevi extinctus; eidem monumento appoſitus eſt. LUCAS verò ZOLKIEVIUS, ipſius Patruelis; cum Stanislao Koniecpolio per Chriſtophorum, Ducem in Zbaraz & Wiſniowiec; ad Achmetem, Turcarum Imperatorem, à Rege SIGISMUNDO le-

gatione publica perfunctum, biennio post non sine grandi pretio liberati, ac Reipublicæ restituti: quorum primus Kałussiensis Præfectus sub tempus Interregni Sigismundiani, ad incursiones Tartarorum à finibus Regni avertendas, ad Skałam, vulgo Rupem Podolicam, Exercitibus Regni Præfectus, post navatam omnigenæ securitatis operam, strenueque tutata ac custodita Podoliæ confinia, non diu superstes, gloriose Martiali decessit Officio: alter Castellanus Cracoviensis & Supremus Regni Exercituum Dux, ob memoriam Soceri, morte heroica sublati, tum ob vulnera in bello suscepta, ac Viriliter toleratam captivitatem, in qua de propugnanda Patria non desperavit, designatus fuit.

Hæc est illa Clades Poloniæ memoranda: hoc Domus totius ZOLKIEVIANÆ pro Gloria Crucis expirium, quod non Hostium vis, non locorum iniquitas, non dira fames, non perpessæ superatæque intulerunt ærumnæ; Discordia nostrorum, & perfidia Valachorum est, quæ rem perdidit. Extat in illis campis etiamnum marmorea Columna, quæ conspersos sanguine ZOLKIEVIORUM campos repræsentans, quam dulce & decorum sit pro Patria mori, apertè indigitat, non sine Populorum lachrymis feralem hanc Memoriam deplorantibus. Is tandem finis erat Viri, si cujuspiam Imperatoris artibus eminentissimi. Nobilitas generis perantiqua. Pater STANISLAUS ZOLKIEVIUS, Russiæ Palatinus, Togâ Sagoque insignis; conjunctioni-

nibus illuſtrium & præcipuarum in Regno Poloniæ Familiarum, utpotè Herburthorum de Fulſztein, Comitum de Tęczyn, Firleiorum, Jażłowiecciorum, Gorayſciorum, Tarłonum, Fredrorum, Wapowſciorum, quorum plurimi de rebus geſtis Polonorum Scriptores, heroica recenſent Acta, interſertus, ac clariſſimus.

Ex horum itaque Materna, Aviali, & Proaviali linea, STANISLAUS, Theophila, & Dorothea; DANIELOVICIUS proceſſit ſanguis, & ut fortes creantur fortibus, ac bonis, in hoc STANISLAO ſupparem Majoribus ſuis ſpectavit gloriam. Is ſub ULADISLAO Quarto, Poloniæ Rege feliciſſimo, Annos juveniles Moſchovitico exercuit Bello, quo Princeps hic Imperium illud, violatæ ſibi fidei, datique in dominium Sacramenti rerum, vindicibus edomabat armis. Aderat Regi Comes, egregius Juvenis, millenis ſtipatus Viris, innata fortitudine eximius, & in obſequium, Martialesque expeditus ardores. Quibus tantùm favoris Regii promeruerat, ut quamvis ob duellum in Arce Varſavienſi cum Kalinovio ſtrenuè peractum, ſub tempus jacentis adhuc in mortali Sarcophago corporis defuncti SIGISMUNDI, Patris, à Succeſſore Filio, ægrè acceptus eſſet, ob memoriam tamen ingenuæ illius in Moſcovia Virtutis, condignæ æſtimationi Regiæque gratiæ redderetur. Quapropter in Pruſſiam iterum contra GUSTAVUM ADOLPHUM, Suecorum Regem, egregiam Virorum ſumptu proprio adduxit legionem; ſed illius

belli præludiis, interventu Galliæ, Angliæque Mediationis compositis, otium in pace fastidiens, Majorumque suorum eximia revolvens gesta, Avique & Avunculi, effusum in Campis Cecorensibus cruorem, quoquo modo ulcisci volens, collectis non modico ære Copiis, Cosacos quoque impulerat, ut Scythas ad confinia Podoliæ, suasque ditiones per desertos campos, tuguriis mapalibusque suis appropinquantes, repelleret, rejiceretque.

Favit aliquoties prosperior Fortuna Votis, non tamen ad exitum: quippe volentem ducere, invitum trahere sueta; dumque Virtute magis, quàm Viribus animosior numerosam Scytharum multitudinem ardore Martio invaderet, nec Amicis, nec Commilitonibus, ut fervorem temperaret innatum, auscultans, equo occiso dejectus Scythicum subiit jugum, à Netzey Murza captus satisque humaniter, ultra morem barbarum, habitus fuit. Neque desponderat animum melioris quandoque Sortis, quæ plerumque Viris invida fortibus, nisi Cantimirus Murza, cujus sanguineo ferro, Maternus ipsius occubuit Avus, primus in eo conflictu bellator & ductor, captivum hunc reddi sibi mandasset. Debuit extradi Viro, qui in tantum bellica Felicitate, faustoque populandi successu, apud suos Populares evaluerat, ut dominatum super se Hani Crymmensis, seu Tartarorum Reguli, ope Turcarum adjutus, excuteret; ab ipsis postea præfectura Bessarabiæ donatus, ac tandem suffocatus. Hic ad Oppidum Uscie in Russia, juxta Pauli Piaseccii

ſeccii, Epiſcopi Præmyſlienſis, Rerum Polonarum Scriptoris Udicza vocitatum cum Polonis decertans; STANISLAO ZOLKIEVIO, Palatino Kiioviæ, Campeſtrique pro tunc Exercituum Duce id munus belli obeunte, Filium annorum octodecim, natu Majorem amiſerat, adeoque Vindictam ſpirans, dum captivum Stanislaum præ oculis habet, quisque Origine, Vocabulo ac Dignitate eſſet, interrogat? Ubi Palatinidem ſe Kiiovienſem ex dignitate olim Paterna vocitari inaudiit, aliquem ex Filiis Zolkievii, indiſtincto cognomine eſſe reputans, ſecundo genito ſuo Caput illi amputari mandat; tergiverſanti, & forſan opimum Servitutis lytrum reſpicienti, minas intentat, Filium ſe ejus non agnoſceret, cujus juſſa exequi nollet, Serpentemque hunc in morſum Scythicæ gentis vivum amplius non pateretur, & Fraternum ſanguinem vindicaret; tali adactus ſtimulo, languida præ compaſſione manu, Captivo collum vulnerat, non enecat; donec barbarica rabie inceſſus Pater Satellitem ad transfigendum captivum adegit. Sic in Sanguine frigido, atque Mortis horrore concreto, nec per æſtum belli fervido, glorioſa concidit Victima. Cujus corpus ille demùm Netzey Murza, ſibi à Cantimiro permiſſum; cum Rzeſzovio, occiſi Ephebo; ad Theophilam Daniłoviciam Sororem, honeſto comitatu in Zolkiew remiſit, ubi monumento Avi ſui materni illatum eſt. Sic decedente per cruenta bella Zolkieviana Domo; ampla & opulenta in Ruſſia hæreditas bonorum, in Unicam

Filiam, Sophiam Zolkiewſka, Theophilæ Daniłoviciæ Matrem devoluta, poſt Familiæ Sobieſcianæ per ſucceſſionem Jure naturali adjuncta eſt.

Expedita igitur Zolkieviorum, ac Daniłoviciorum, pro gloria Crucis, ac defenſione Reipublicæ, ſanguinem copiosè in arena Martis litantium, Geneſi, demum ad JACOBUM SOBIESKI, Caſtellanum Cracovienſem, regredi neceſſe eſt. Is cum ſuperius dicta THEOPHILA DANILOVICIA, MARCO Filio procreato, JOANNEM SECUNDUM, imo Secundiſſimum, quia futurum Poloniæ REGEM, hujus Nominis TERTIUM, tum SOPHIAM, infantili morte ſublatam, demùm CATHARINAM Domino in Oſtrog & Zasław Duci, Palatino Cracovienſi, primis Nuptiis elocatam; ſecundis verò MICHAELI in Olyka, & Nieſwieſz RADZIWILIO, Principi, Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellario, & Exercituum Campiduci conjunctam, extremò ANNAM, in Conventu Leopolienſi, Ordinis Sancti Benedicti Virginem Profeſſam, & in ætate juvenili mortuam, non ſine gloria ac ſingulari Familiæ ſuæ Ornamento progeneravit. Eximia illius in Rempublicam merita, anterior pagina recenſuit; nunc tanti Parentis primogenitus MARCUS, in arenam deſcendit. Magnam ſpem, & Patriæ, & inclytæ Domui, hic egregius prætulerat Juvenis. Literis namque humanioribus imbutus, ubi cum JOANNE natu juniore, in exteras Nationes ſtudiorum, viſendarumque Regionum exoticarum cauſa mitteretur; in-

instructioni sibi à Patre datæ, quâ Prophetico planè Spiritu, quo ad Saltus choreasque discendas libero ipsorum Arbitrio relictas, addiderat, reversuris in Patriam abunde fore Chorearum cum Tartaris; plusquam efficaciter respondit. Redux etenim post Fata jam gloriosi Parentis sub tempus JOANNIS CASIMIRI, in Regem Poloniæ electi; post illam immediatè infelicem ac probrosam Polonorum, cum Scythis & rebellibus Cosacis, Duce BOGDANO CHMIELNICIO, Pilavecensem expeditionem, ubi circa salutationem Matris, ab illa serio, & Virili ejus animo audiret: nunquam se nosciturام pro Filiis, tales Filios, qui simili dedecore Martialem desererent aciem; primo contra eosdem hostes, jam Crasnostaviensem Præfecturam nactus; Regi CASIMIRO ad Beresteciam, decora Virorum cohorte affuerat, Ibique tyrocinio militiæ deposito, aliis quoque expeditionibus, & manum & Personam non subtraxit. Demùm gloriæ Martiali indulgens, Majorumque suorum heroicis insistens Vestigiis, inter quos, sæpius à Marte, Avum, Proavum, Avunculum bello prostratos pro gloria Crucis & fide Orthodoxa inaudiverat; Scutoque gentilitio frequentius sibi commonstrato, aut in hoc, aut cum hoc: illud Spartanæ Viraginis, insculptum, ac interpretatum legerat, seque ad fortia gesta hac Impressione exercitari sentiens, ad Batovum in Ukraina fluviumque Boh; antiquis Hyppanim sub Kalinovio, Bracłaviensi Palatino, infelici pro tunc Exercituum Du-

ce, contra eosdem Scythas rebellesque Coſacos, pertinaciſſime dimicans, ac toto ſimul Nobiliſſimi Exercitus robore ob ingentem hoſtium multitudinem oppreſſo ſuccumbenteque, Ipſe quoque ſaucius & cruentus, captivitatem Scythicam ſubire cum aliis debuit. In qua à Nuradino Sultano, de genere famoſi illius Kantimiri Murza procedente, poſtridie barbarico ferro interemptus, occumbentibus ſimul eadem tyrannide ultra Jus belli, quia captivatis, trecentis præſtantiſſimis Commilitonibus; adeò reliquis indignabundis, ob amiſſum lytrum Tartaris, ut feritatem hanc planè belluinam, palam Nuradino exprobrarent. Corpora mactatorum extra caſtra projecta & inhumata, campos illos Batovienſes cruore; Æthera miſeratione implevêre: præſagus ille Matris lachrymabundæ Spiritus, nec oſſa, nec corpus vidit Filii; quod Avi, Proavi, Avunculi, inferret Sepulchro.

JOANNES vero Secundogenitus, ſub hoc infauſtum bellum ad Majora ipſum ſervante cœleſti Dextera, gravi morbo Leopoli decubuit. Is natus in Oleſko Ruſſiæ; uno tantum milliari ab Albo Lapide, ſic vocatur Civitas, diſtante, ubi MICHAEL quoque Korybuthus Wiſniowiecius, poſtea Rex Poloniæ in lucem prodiit; non abſque ſingulari Numinum Providentia, REGES POLONIÆ DUOS, in Ruſſia bellacium Virorum feraciſſima, Magnos, Pios, Felices, Auguſtos prodiiſſe. Infantiles JOANNIS cunas, Stanislaus Danilovicius, Maternus Avunculus, à Kantimiro interemptus;

ptus; ejusque Mater, ſua verò Avia, primi aſpexêre, & uſque ad ſua fovêre Fata; quas prodigioſo ſub tempus genituræ Tonitru, Fulminumque cælitus vehementer detonantium Coruſcatione, illuſtriſſimas quandoque; deinde & Sereniſſimas portendebant. Nec fefellit pios Educatores, licet non diu ſuperſtites, glorioſiſſimus eventus. Præfecturam enim Javorovienſem ſibi à Parente ceſſam ſuſcipiens, REGI CASIMIRO, cum Scythis Coſacisque rebellibus, ad Zboroviam in Ruſſia pugnanti, numerosâ lectiſſimorum militum Cohorte equeſtri, præſens affuit, & ut inclyti Sanguinis decebat Virum, per prima Belli tyrocinia fortiter cum hoſtibus dimicans, tantam Juvenilis ardoris monſtravit ſtrenuitatem, ut brevi, Regni Vexilliferatus honore, à REGE decoraretur. Hic jam latiſſimus aperitur campus, in quo JOANNES per Martia inclareſcens, & ſuccreſcens Facinora ad Solium Virtutis enixus eſt. Moſchis enim pro tunc, rebelles Coſacos à Dominio & ſubditatu Polonorum, conjunctione verò bellica Scytharum, ad ſe retrahentibus; Suecis autem nondum expirato Sztumdorfienſium Induciarum tempore, in Poloniam irruentibus JOANNES, Equeſtrium legionum Tribunus, potiſſimam bellandi cum iis partem ſuſtinuit; ipſum Regem CAROLUM, inter confluentem Sanum, & Viſtulam, partim velitationibus, partim obſidione diſtinendo, ex qua dum Generalis Suecus, DUGLASSIUS, Regi ſuo eliberando ſuppetias ſex millium Suecorum

P du-

duceret; pedestribus Copiis ad custodiam obsesso-rum relictis, ipse cum CZARNECIO, obviam succursui venienti profectus, tranato ad Oppidum Warkam Fluvio Pilcza; vernâ tunc Nivium resolutione intumescente, nec Pontem patiente, eundem inopinatò aggressus fudit, dispersumque octo milliaribus Varsaviam usque insecutus cæcidit; quocunque se demùm obverteret, ubiq; Superior hostibus evasit. Interim GEORGIO RAGOCIO, Transylvaniæ Principe, in ruinam Poloniæ, cum Sueco conspirante, ac quadraginta collectorum Valachorum, Siculorum, Transylvanorum, Serborum, Cosacorumque millibus Regnum hoc inundantibus & Igne ac Ferro depopulantibus, JOANNES, cum GEORGIO LUBOMIRSCIO, Campestri pro tunc Regni Exercituum Duce & Mareschalco, Transylvaniam vindicibus ingressus Legionibus, pari talione Vicini & Inimici Principis Ditiones exercuit; indeque regrediens eidem RAGOCIO jam à Suecis dissociato & in Hungariam fugienti simili, obvius factus, victrices objecit Legiones, quibus profligato ad Magieroviam Hoste; Manubias, verius Prædam, rapinis per Poloniam exercitis partam, ac tandem tractatum repetundarum extorsis; obsidesque donec Reipublicæ, REGIque CASIMIRO pro illatis damnis & populationibus satisfieret, evicit; quem deinde Tartari, in succursum Polonis advolantes, jam Tractatibus securum, ad Kulicoviam internecione & captivitate mulctarunt; Turcæ verò ob injuste Polonis illatum bellum, foede-

deraque violata, Principatu Tranſylvaniæ, privarunt.

Subſequentibus poſt fata CAROLI, Suecorum Regis, ad OLIVAM in Pruſſia Pacis fœderibus; Moſcoviticum bellum, avocavit JOANNEM: in quo Scytharum auxiliis, cum Sefer Kazy Aga Tauricanorum Ductore, apud quem anterioribus bellis, Obſidem pro Polonia egerat, actus, & optimè cohærens; præclara ſtrenui Ducis exhibuit opera, ſæpius hoſtem, & acie aperta, & locorum inſidiis proſternendo, donec ex his cruentis Præludiis, ad decretoriam Pugnam ſub Cudnowo deventum eſſet; ubi Szeremetho, Moſchorum Duce, ſtatariam aciem cum Rege CASIMIRO declinante, majoresque ſuppetias, quas tum GEORGIUS Chmielniczenko, Coſacorum Dux, quadraginta millibus ſuorum ſubnixus ferebat, præſtolante, ac obſidione à Polonis conſtricto; JOANNES cum ſuperius dicto GEORGIO LUBOMIRSCIO, ſuppetiis Coſacorum diſſipandis à Rege ordinatus, eas in Ukraina ad Oppidum Słobodyſzcze, exigua Polonorum manu, tempore, quo Caſtra metarentur, fortiter aggreſſus profligavit, ipſumque Ducem captivatum Regi CASIMIRO in Vinculis, ut rebellem, adduxit; qua Victoria territi Moſchi, Coſacis ſub Cieciura Duce ſibi pro tunc adhærentibus, & ad conſternationem profugis, deditionem cum omni apparatu bellico fecerunt, ipſo Duce Moſchorum, in Tauricam per Scythas auxiliares abducto.

 Tan-

Tanta rectè factorum Gloria cumulatus JOANNES, ac Regi CASIMIRO per fidelem probatus operam; GEORGIO LUBOMIRSCIO, ob civile bellum ad Matwii, locus aciei fuit, cum Principe gestum, exauthorato, ad Clavam Campestrem, Scipionemque Regni gerendum, in Vim Meritorum successit; ac in Vitæ thorique Conjugalis Sociam, magnorum GALLIÆ REGUM Sobolem, Illustrissimam MARIAM CASIMIRAM, Marchionissam de Arquian de la Grange, per INNOCENTIUM XII. Pontificem Maximum, origine Pignatellum, Nuncii pro tunc Apostolici in Regno Poloniæ ad Regem CASIMIRUM, Remquepublicam charactere gloriose fungentem, Varsaviæ copulatam fausto accepit Hymeneo. Cujus vetustissimam in Regno Galliarum & Navarræ Prosapiam, ipsa Tertiæ propaginis MONARCHARUM GALLIÆ origo, apertè lucideque demonstrat. HUGO etenim CAPETUS, quo ad virilem à PIPINO, quo ad Fæmellam, à CLODOVÆO primo Catholico, Galliarum Regibus; serie non interrupta descendens, clarissimæ ipsius prælusit Genesi. Ducta namque in Conjugium Adelaide, Ducissa Pictaviensi, ROBERTUM Filium, sanctum & prudentem vocitatum progenuit, qui CONSTANTIAM BLANCAM dictam, VILHELMI, Comitis de Arles & Provinciæ Filiam, in Consortem nactus HENRICUM Filium suscepit: hic demùm Annæ Jaroslai vel Jurisclodi Regis Russiæ Filiæ, copulatus, PHILIPPUM Primum procreavit, quo

BER-

BERTHAM, Florentis, Hollandiæ Comitis, Filiam, in Uxorem ducente; prodiit LUDOVICUS, Sextus, Grossus, seu Crassus nuncupatus, & accepta in Vitæ thorique Sociam Adelhaide, HUBERTI Moriennæ & Sabaudiæ Comitis Filia, LUDOVICUM Septimum, Juvenem & pium apellatum Orbi Christiano produxit; Is ducta in Consortium Alice, Thebaldi Magni, Campaniæ, Blesiæ, & Carnutensis Comitis, Filia PHILIPPUM Augustum, qui cum ISABELLA Hannoniæ Ducissa, LUDOVICUM Octavum, ex quo cum Blanca, Regni Castellæ Filia copulato LUDOVICUS Nonus, dictus Sanctus Orbi Christiano venerandus prodiit. Ipse demùm Margarethæ, Provinciæ Comitissæ, seu Ducissæ conjunctus, PHILIPPUM Audacem, Regem Galliarum, progenuit; qui cum ISABELLA, Regni Arragoniæ Filia, CAROLUM, Franciæ Principem, Comitem Valesium; & hic cum Machtilde, Sancti Pauli in Britannia Armorica, Principissa; ISABELLAM Valesiam, & PETRUM, nomine Ducem BORBONIUM suscepit, ex quo cum CATHARINA Borbonia conjuncto, JOANNES Tertius, Comes Harcurianus processit; ipseque Margarethæ Harcurianæ associatus, JOANNEM in Des Toutevile Dominum; & ROBERTUM in des Ansuboie itidem Dominum procreavit. Hic ROBERTUS, ex Maria de Sainte Beufue; CATHARINAM Des Toutevile, & CAROLUM Santmauræum de Nesle suscepit, qui cum ANTONIA Santmauræa copulatus, ex hoc connubio, FRANCISCUM Baratho-

nium Broſſium, & alterum itidem FRANCISCUM Broſſium, Fratres inter ſe germanos edidit, ex quibus Junior natu, cum Barbara de Mornay, Domina d' Acher ſuſcepit JOANNEM Primum de la Grange, cujus dein cum CATHARINA de Monteſpedon matrimonio progenitus eſt JOANNES Secundus de la Grange, qui ducta in Conjugem Margaritha de Pomoy, Filium habuit GABRIELEM de la Grange, is poſtea e Conjugio Catharinæ de Guiverlay Pater fuit JOANNIS Tertii de la Grange, Domini de la Reculee Superioris & inferioris Fovillay de Chaumoy, de Veſure, & des Barres locum tenentis Artilleriæ. Hoc Patre & Matre HELENA de la Riviere editus eſt GODEFRIDUS de la Grange, Dominus de Montigni d' Arquian: Hic adjuncta ſibi thori Socia JOANNA de Guitois procreavit FRANCISCUM Grangeſium, ſeu de la Grange, Dominum de Montigni & de Angillon. Hic in Aula HENRICI TERTII, Regis Galliarum educatus, quo ſe tanta ſtirpe creatum monſtraret, primo Equitum Centurio; dein Primus Dapifer, ac poſt Gubernator de Beri, Bloa, Dunoa, Vandomi, tandem levioris armaturæ Campi Magiſter, ac Magnus Artilleriæ Præſes, & Pariſienſis Gubernator, a Rege deſtinatus, oblatis ſibi Officiis ac Muniis egregiè reſpondit & cum GABRIELA de Crevant, Claudiani Domini de Boues inclyta Filia, CAROLUM Grangeſium, Dominum de Montigni & de Arquian procreavit, qui Regii Ordinis Eques factus Gubernatorem Charitatis, & Ducis

de

de Luxemburg cohortium Præfectum, eximie sustinens, LUDOVICAM, GVILHELMI, Hæredis de Jarts cher Filiam, de Rosievart, & de Botau Dominam, Consortem primo Voto, altero verò ANNAM BRILLANTIAM nactus, ex ea ANTONIUM Grangesium, Marchionem de Arquian progenuit. Is Prior Capitaneus & locum tenens Præfecturæ Excubiarum Regni Galliæ creatus & Gubernator de Sancerre, Calais, Metz, & Giem steriliter binis cum Consortibus vivens; ex ANNA Tertii Voti Dancienuille, Domina de Prie, HENRICUM Grangesium, Marchionem de Arquian, Comitem de Maligni suscepit, qui Ducis Aurelianensis unici Fratris, Regis Galliæ excubiarum Præfectum, & Campi Magistrum agens cum FRANCISCA, JOANNIS BAPTISTÆ Santronii Hæredis de Brilbo Filia, felicissimo Connubio, LUDOVICUM Comitem de Maligni, JOANNIS TERTII, Regis Poloniæ, Excubiarum Præfectum; LUDOVICAM MARIAM Grangesiam, FRANCISCO de BETHUNES Marchioni elocatam; tertio partu MARIAM CASIMIRAM Grangesiam, Primo voto JOANNI ZAMOYSCIO, S.R.I. Principi, Palatino Sendomiriensi, in Regno Poloniæ Nuptam ex quo prolem quaternam susceptam & morte infantili sublatam habuit; Secundo vero JOANNI SOBIESCIO, pro tunc Regni Poloniæ Summo Vexillifero, demum Supremo Campi, ac ejusdem Regni Mareschalco, ac post REGI Poloniæ, ejus Nominis Tertio, copulatam: quarto

to nisu MARIAM Annam Grangesiam JOANNI WIELOPOLSCIO, Comiti, Supremo Regni Poloniæ Cancellario, conjunctam: quinto, Filium Equitem Melitensem factum, Regio lateri LUDOVICI XIV. Galliarum Regis Trajectum ad Mosam fortiter oppugnantis, adstipulantem, ibique pila tormentoria violenter enecatum: Sexto & septimo, binas Virgines, Ordinis Sancti Benedicti Moniales Professas, (quarum una Niverniæ, altera Burgesiis mortuæ) progenuit. Fortunatus tanta prole PARENS, utpote qui ipsemet diuturniori beatus Vita suavissimos sui Connubii non sine intimo Cordis solatio, ac larga Cœlestis Benedictionis affluentia spectavit, & suspexit fructus, ac tandem Cardinalitia ab Innocentio XII. Pontifice Maximo, decoratus Purpura; visa Filia Poloniæ Regina, Nepotumque & Pronepotum ampla serie, plenus dierum, in Urbe Romana, Orbis Domina, in pace quievit.

Meritorum interim, rerumque in Polonia per JOANNEM gestarum interpolatum tantisper lineis Genealogicis, reducendo Filum; Campestri clavâ Regnique Scipione, decorato JOANNI primas, easque maximas curas Imperii, & quo ad Bella cum hostibus gerenda; & quo ad Leges in Republica, finesque Regni tuendos Pacemque foris, ac domi stabiliendam, ut pluribus Munimentis insisteret, Rex Poloniæ, JOANNES CASIMIRUS commiserat, dataque in Sociam Vitæ dignissima Consorte, ad fortia gesta fidemque

que in periculis ſervandam obligaverat. Heroicis namq; cumulatum Virtutibus, præſago quaſi Spiritu, Regni quandoque habenas gloriosè capeſſiturum prævidit. Ipſe vero curarum anxius, Bellorum multiplici ſerie confectorum pertæſus, ætate & laboribus feſſus, invidiæ ac ſugillationibus in Gente præſertim libera obnoxius, faſtidito populari Regimine, Reginaque inter hæc LUDOVICA GONZAGA Conſorte ſuâ orbus ac Viduus, Principum Chriſtianorum, ipſiusque Summi Pontificis dehortationibus immobilis REGNUM, quod liberis Gentis Polonæ ſuffragiis acceperat, pace ac tranquillitate cum Vicinis Principibus glorioſe parta, ſponte ac libere abdicandum, in Animum induxerat, & dum arcanum hoc Mentis ſuæ propoſitum, Generalibus Polonorum Comitiis evulgandum protelat; indomita Coſacorum Zaporovienſium, Duce Doroſzenko, toties cruentiſſimis profligatorum prœliis Rebellio, iterum exarſit Scythasque Tauricanos ſuis aſſocitos Agminibus, in oras Poloniæ Ferro, Flammis, & populorum Captivitate vaſtandas eo celerius induxit, quo ſecurius toties ingenti præda onuſti, Exercitu Polono, per varia Bellorum diſcrimina diviſo ac diſtracto, impune graſſarentur ac in Tauricam remearent. Sed ſenſerunt intrepidum Vindicem ac Bellatorem JOANNEM, qui Sepulchralibus Majorum ſuorum monumentis, & innata heroico Sanguini Fortitudine excitatus; bellacem Dexteram ad vindictam Anteceſſorum ſuorum ulciſcendasque

que Regni injurias ac Fraternum Sanguinem appoſuit.

Et primo quidem ad Podhayce in Ruſſia irritus ille Barbarorum ritus majoribus ejus Trophæis præluſerat. Namque Nuradinus Soltanus, Tauricanorum Ductor, quinquaginta millibus ſuorum ſtipatus, in Polonorum caſtra violento impetu irrupturus, & ob exiguam Exercitus manum, certus vincendi ferebatur, quem ejusmodi ſagaci & ingenioſa, illique prorſus inſperata, ut ſummus in re militari Archiſtrategus, circumventione eluſit, diviſis quippe potioribus ſuorum copiis in illos viarum tractus, quibus palabundi Scythæ, ab incurſatis Ruſſiæ pagis, reverſuri præſentiebantur, in Mandatis dederat, ut equis benè alendis reique ſtrenue gerendæ, ubi poſtularet momentum, ſerio adverterent, & Hoſtes gravi præda, hominumque in captivitatem abactorum multitudine onuſtos, & caballis longiori ac velociori curſitatione emaciatis, ad pugnam fugamque invalidos, tum primum invaderent, excuterentque. Ipſe interim ad Podhayce Equitum peditumque bis mille ſubnixus, ſtringi ſe Obſidione permiſit, quò confertisſima illa Scytharum agmina, partim diſtineret, parrim fruſtraretur. Favit ex Voto ſucceſſus. Namque Hoſtis dum obſtantes in reditu legiones perrumpere nititur, mole ſua gravis in fugam actus & erumpenti cum Exercitu ex caſtris Duci objectus, prædam omnem captivosque amiſit, ipſo Nuradino, cum Ductore Coſacorum, Doroſzeńko,

ko, ſeſe ex acie ſubducentibus: occumbentibus verò, quod inſtar Prodigii eſt, viginti Scytharum millibus; Coſacis vero fuſis fugatisque, reliquis in captivitatem abductis, plebeque Roxolana, ex ſervitute Tartarica, ultra quadraginta millia, libertati reddita. Patuit tunc JOANNI campus vindicandi de Nuradino fraterni ſanguinis, niſi præpeti fuga ex Acie deceſſiſſet, cujus tamen ultionem eidem Nuradino quandoque cruentam, per captivos Scythas in id conſulto ad ipſum dimiſſos, viriliter indixerat. Clade fugaque ſuorum perculſus Selimgerejus Crimmenſis HANUS, iterum numeroſiora ad Braclaviam, explicuit Agmina, rebellibus Coſacis aſſociata, quibus cum exigua licet, fortiſſima tamen Heroum Polonorum manu, objectus JOANNES, aperta conflictatus acie, Turbam illam prædatricem veriùs, quàm pugnatricem felici profligatam conatu, eo usque adegit, ut Pacis ſecum quoquomodo ineundæ, poſtularet Fœdera; quæ aliter ſancienda, victorioſus Dux habere noluit, niſi Tauricani ſuis ad Regnum Poloniæ prætenſionibus, quibus amovendarum incurſionum cauſa, Honorarium annuum, à Regibus Poloniæ ſibi offerri ſæpius ſolitum, perurgebant, operam ſuam auxiliarem, ad quamvis in Polonia Bellorum tempeſtatem pollicentes, in perpetuum exuerentur: Coſaci verò debitam REGI Regnoque Poloniæ ſubjectionem, in ordinem redacti, ſacramento dicerent. Partis ejusmodi Pacis conditionibus, tranquillatisque Podoliæ oris Victricem

 pal-

palmam Vulneribus hoſticis inſertam Regno, Regique CASIMIRO, jam tum Regni ſui abdicationem Statibus & Ordinibus Poloniæ univerſis evulganti, glorioſus præſentavit Athleta; à quo in coronamentum heroicæ Virtutis Supremam Exercituum Regni; POTOCCIO tunc, tanto Magiſtratu, Vitaque decedente, accepit Præfecturam.

Interim Regnum Poloniæ abdicanti CASIMIRO, liberis gentis Polonæ ſuffragiis MICHAEL, Dux in Zbaraz & Viſniowiec, Korybuthus Regum Magnorumque Lithuaniæ Ducum Nobiliſſima Progago ob memoriam ac æſtimationem Majorum ſuorum, præſertim verò recentiſſimas HIEREMIÆ Wiſniowecii, Ruſſiæ Palatini, Patris de hoſtibus Victorias, in Thronum Sarmaticum evectus, concorditer ſucceſſit. Sub quo, non detumeſcente Scythica Coſaticaque Rabie, & eo magis in ultionem exardeſcente, quo frequentius à JOANNE, Lernæa hæc deprimeretur, concutereturque Hydra, & quod recenti novi REGIS inauguratione, irritæ ſibi Pacis transactiones, ſuo cum Antecedaneo viderentur: OTTHOMANNUS ipſe, Orientis Princeps, in Belli Societatem patrociniumque vocatus, periculo, ac incendio, quo vicinus arderet paries, facile commovetur, ruptisque quaſi poſt expirium Domus Jagiellonicæ in CASIMIRO deſinentis, cum qua diutiſſimè manutenta, interceſſerant, Fœderibus, tota potentiæ Aſiaticæ mole, Regnum Poloniæ in MICHAELE aggreditur, præmiſſaque Tauricanorum inundatione, Igne

ac

ac Ferro populorumque abactione, ſæviente, ipſemet in Perſona, Danubio Tyraque pontibus inſtratis ſuperato, Urbem CAMENECUM Podoliæ, totius planè ex hac parte Chriſtianitatis Propugnaculum bellico invadit Apparatu; ad quod ab hoſte immani tuendum, quamvis JOANNES, Supremus jam Regni & Campi Mareſchalcus, Præſidium Legionesque ordinaverat, muneri ſuo intentiſſimus ob civilem tamen Diſcordiam, ac Simultatem, heroica illius Facinora, domi forisque malignè ſugillantem, per Potocium, Cameneci pro tunc lege ſancita Gubernatorem, nec ſuſceptæ, nec intra mænia admiſſæ fuêre. Hoc itaque rerum turbine Orientis Monarcha ACHMETES, ſolo terrore ſuique Exercitus ad obſidionem quâquâ verſum diſpoſiti oſtentatione, tanto potitus Fortalitio, profanatis Altaribus, Delubris in ſuam Superſtitionem converſis, Populo in ſubjectionem mandato, Machometanæ fortunæ ſuæque litavit ſuperbiæ. Nec contentus fortia, absque cruore obtinuiſſe, tumentes inſperata Felicitate copias, Ductore Kaplan-Paſza verſus Leopolim, Ruſſiæ Sedem, audacius promovet; ac ſi nullam ibi Polonorum reſiſtentiam nacturus. Sed fefellit Opinio Barbarum; JOANNES namque collectis, quantum potuit in Regno, malè tunc ſibi, ob civiles Motus ac Diſſenſiones cohærente, Viribus, effuſam illam grandinis inſtar vehementis Tempeſtatem, qua ſtrenuiſſimorum Virorum memoranda fortitudine, quâ proprii corporis objectu Dux, an Miles, incer-

tum, tamdiu Velitationibus, Prœliis, insidiis, variisque distinebat Artibus; donec ingruente frigidiori Autumno, pluviisque pruinosis sub Dio, Turcicum exercitum consumentibus, nec Voto suo potiri validis, lytro aliquali ab obsessis Urbis Leopoliensis Civibus spontaneè oblato, immanem illam removeret Procellam. Nihilominus de Martiali fervore non remittens, abeuntium tergo insistere, palantes cædere, qua uliginosis viarum anfractibus, obstare, qua sylvarum penetrationibus, fluviorumque exundantium tranatione impedire, ubique aggredi, invadere, fugientes insequi, projecto in omne periculum, mortemque Polonorum Exercitu, non neglexit. Irritatus suorum non absque strage recedentium contumelia Turcarum IMPERATOR, primo vere Selimgerejum, Tartarorum Regulum, suis excivit sedibus, dato incurrendis Regni finibus, vastandæque Podoliæ mandato, qui incendiis, rapinis, Pagorum Civitatumque excidio prævius, graviora in ipsum Regni meditullium minaretur Fulmina. Castris itaque ad Niemieroviam positis, dum effusos illos Vultures, gravi præda per Poloniam corrasa, onustos, præstolatur reduces, incidit in ultrix JOANNIS Ferrum; quo palabundi prostrati, captivi liberati, omnis præda excussa, ipse demum ad Niemieroviam intutus, victorioso Marte, ulteriorem belli aleam prosequente perterritus, fugitivi in modum sese proripuit.

Necdum respirio fessis Legionibus concesso, non

non Sanguine ab armis deterſo, non Equis citato curſu fatigatis, pro exigentia refectis, ecce novæ recentesque Tartarorum advolant turmæ, Duce NURADINO SOLTANO, conjurato quaſi in excidium Domus JOANNIS hoſte, qui ad Komarnum metatus, dum condenſatas Oczakovienſes, Budziacenſes, Nahaienſes, Dobrucenſes, Crimmenſes, Bialogrodenſes, Calmucenſes Hordas, in ditiones Podoliæ fertiliſſimas effundit; ingentesque ex incurſatis Pagis Civitatibusque armentorum hominumque manubias abducit, inſperato JOANNIS, cum Viris fortiſſimis, continuoque bellandi uſu, vincere aſuetis, ſuperventu fuſus, fugatusque ac in opacum Nemus, ſylvasque Bednarovienſes ſibi fatales cum catervis propulſus, jam ſe vindicem JOANNIS manum evaſiſſe crediderat, cum inſiſtentes veſtigiis ſuis, Polonos etiam inter denſiſſimas Arborum umbras, à tergo, à fronte verò Ruſticanam plebem ſecuribus, peltis, falcibusque; & reliquam bombardis, varioque armorum genere inſtructam, prius in hunc eventum per JOANNEM tesquis immiſſam, obviam habet; quæ fugientes ipſoque metu proſtratos, ac inermes, miris excruciabat vulneribus, jam ſectos in partes, jam manibus pedibusque truncatos, jam oculis erutis, effoſſisque, ac præciſis faucibus, naribusque mutilos, jam detracta corporibus cute in Arboribus ramisque, ac truncis pendulos, nihilominus ſpirantes, ultrici pro rapinis & captivatione tormentando manu, & adeò ad ſtuporem ſæviente;

ut reliqui Tartarorum cunei, ultro ſe ob hanc enormem Ruſticorum rabiem, militi Victori, magis permittere maluerint.

Ergo tanta Hoſtium clade, fraternique ſanguinis Ultione efferveſcens JOANNES, unum & aliud mille aureorum projicit, multoque pollicetur plura, quicunque militum ſuorum ipſum NURADINUM adduceret vivum; videret, inquiens, Tyrannus copiam ulciſcendi Fratris, ſuis nunc in manibus eſſe, quem ille inhumana feritate, non jure belli, quia captivatum laniaverat. Sed dilata Vindicta ſecurum non faciet, donec Verbo, illi ad Podhayce dato, ab impia Cervice revulſo capite, Chalybem meum imbuero, cui etiam nunc indulgere poſſem, mactatis pecudum more, tot millium Scytharum captivis, niſi humanum Cor, non feræ Tigridis, in pectore eſſet. Aſt Nuradinus & per Victorem militem, & per plebes, paſſim in ſylva, denſiſque nemoribus; paſſim in paludinoſis uliginibus inter cannas juncosque paluſtres, mira indagatione diu noctuque quæſitus inveniri non potuit, Conſcientia ſceleris nefarium hominem tam ſagaciter abſcondente, ut integro octiduo, lacubus ad ſtuporem immerſus, planeque putredine emaciatus & exſanguis, nudipes inde exiliens, perque denſa gramina reptans, ad SELIMGEREJUM HANUM, tandem ſemivivus pervenerit; prout in ſubſequenti ad Kaluſzam Pugna captivi Scytharum de illius fortuna quæſiti, unanimiter retulere. Elapſo ex cavea NURADINO, triginta ſex inſigniores

res Murzæ, familiarum ſuarum Anteſignani: Soltani verò aliquot de ſanguine HANI Crimmenſis procedentes, partim captivati, partim interempti cecidere. Abactorum populorum immenſus numerus, libertati redditus, qui piis Votis, & ſuſpiriis DEO, pro Eliberatore oblatis, ſalutarem ſibi decoravit Victoriam. Indomita nihilominus Barbarorum feritas, populandique licentia, iterum ſubſequente anno conglobata, coactis Crymmenſium Scytharum, rebellibus Coſacis aſſociatorum agminibus JOANNEM, ad Kaluſzam, Oppidum in Ruſſia, caſtra metatum, numeroſioribus aggreditur cuneis; ubi continuis per quindecim dies Velitationibus, incurſibus prœliisque, ſine diei noctisque reſpirio factis; ſemper victrici retuſa ferro ac propulſata, demum ultimario congreſſu fracta, & in fugam diſſipata, cædibus & captivitate Polonorum manus impleverat, fatis ſibi adverſis tamdiu pertinax ac iracunda, ut quoties armatas dexteras in Victorem continuum & plane ex genio ſibi fatalem elevaret, toties amputarentur ſuoque exitio ingemiſcerent. Clade Tartarorum quaterna, ſuorumque repreſſione perculſus OTTHOMANORUM Princeps, fortunamque Polonorum veluti ignivomum contra ſe Incendium ſiſtere cupiens iterum erigitur armis, & claſſicum toto Oriente commoto, Poloniæ intonat; MICHAELE, Rege, primò ad Gołębiam Univerſam Nobilitatem pro Patriæ defenſione convocante; denuo Varſaviæ in Comitiis conſultante, quibusnam Viribus tam

T po-

potenti Vicino occurrendum esset; cum JOANNES, Supremus armorum Dux, consiliis, ex quo Mareschalcus ad tempus sepositis, toto illo triennio sagatus clypeatusque, & sibi, & Regno, Regique, ac populis, armorum objectu, pararet tranquillitatem, hostemque irruentem mordicus sine intermissione abigeret. Objectus est huic Polono Heroi, jam tunc Regni, ac Magni Ducatus Lithuaniæ suffulto copiis, quæ ad nomen recens inaugurati MICHAELIS, Regis, huic bello sese accingentis, primum fidei & fortitudinis suæ exhibituræ documentum, citius convolaverant, egesto circumdatus ad Chocimum in Dacia vallo cum quadraginta armatorum millibus Turca, Cretensibus Victòriis tumidus, Ductore Husseimo Bassa, qui se ibidem hyematurus effossis terræ cinxerat aggeribus. Profectò ingens lapsura in caput Reipublicæ moles pependerat! ni illam vasto impetu JOANNES retudisset. Nectebat moras hostis suis munitionibus confisus, & quasi præsago spiritu sibi metuens, plenusque & abundans omni commeatu distinebat Polonum ad ultimas usque frigidioris Autumni ferias, jam penuria annonæ, jam defectu pabuli Equorum laborantem jam rigidiori cœlo divexatum, donec ipsa dies, Divo Martino, Turonensi Episcopo sacra in extremam famelicum exercitum resolveret audaciam. Ergo nihil profuit hosti munitis hæsisse locis, itum est revulsis Aggerum repagulis ad gloriæ & Victoriæ Sacrarium. Non segniter JOANNES Noster omnia involavit-

vola-

volavit pericula, impegit primas castrorum vires ad illum Aggerem, qui non minus viro ac cespite fundatus, resistere nitebatur, perfracta sunt latera munimenti, inundata repente Turcarum castra, turbata acies, disjecti aggeres, consternati viri, profanæ tamen Barbarorum reliquiæ furore, & desperatione animatæ, arma adhuc ad pertinacem sumpserant defensionem, præsertim dum Victor exercitus quasi jam debellatum esset, sarcinis diripiendis præcociter intentus, & per tentoria Turcica, opum congerie ampla, licentiose distractus, Rei periculum faceret. Non diu tamen obluctari potuit vesana illa potentia, Duce ad inopinatos insultus, militari & parata cautione, instructo, qui Castrorum meditullio invectus Cor Hosti rapuit, cujus languidæ manus ita conciderant, ut omne in Pedibus præsidium, omnis in fuga salus esset, si huic quoque aperta pateret via. Interim partim fugientium terga, partim colla demetente Polono, alii telis infixi hærere, præcipites alii in fluvium Tyram, vulgo Dniestr prosilire, ac transmeare eniti; cæteri ponte, vi ingruentium disrupto & dissoluto aquis rapidissimis immergi, quas cruore Turcico rubentes, hominumque ac Equorum multitudine infartas, cursumque suum sisti indignantes, plumbea grandine in corpora naufragantium effusa, onerabat Victor tamdiu procellis insistens, donec fugitivæ illæ copiæ, excidio submoverentur. Ex altera parte perfugio Arx Chotimensis patere videbatur, ad quam per scopulos, abru-

T 2 pta-

ptaque ſaxa migrandum erat, obverſi in illam Turcæ, valido Polonorum impetu adacti, fractis equorum hominumque cervicibus, in dehiſcentes lacunas detrudebantur, morte undique indubia, & Enſe Victore ſæviente. Equidem prœlium hoc arduum & cruentum, celebrisque Victoria, quæ proſtrato quadraginta millium exercitu, conſertas & adhuc recenti ſanguine madidas VICTORI Duci cumulavit Laureas. Juſtâ profecto vindictâ feralem cladem hanc eveniſſe ſibi Turcæ crediderint neceſſe, cum quibus, ut olim gloriosus Parens, JACOBUS SOBIESKI, Caſtellanus Cracovienſis, pacis fœdera in præſentia OSMANNI Turcarum Imperatoris ad Chocimum panxiſſet iis violatis, eodem in loco, tanquam fidei ac Sacramenti reos, per Filium ultorem, ſera licet tetigiſſet Nemeſis.

Jamque Victrices palmæ, poſt inſeſſam præſidiis Valachiam, ultrò in manus Bellatoris Noſtri convolare videbantur, quas concuſſa Orientis potentia nectebat. Unum tantum reſtabat diadema Regium. Exempto igitur è Vivis MICHAELE Korybutho Wiſniowieccio, Poloniæ Rege, Leopoli, ſub tempus belli Chotimenſis, ægrè decumbente, qui moribundus pia Vota felicis ſucceſſus, in JOANNEM cum Turcis pugnaturum transtulerat, multi Competitores ad Sceptrum pomumque Regale capeſſendum ſeſe ingerebant; ſed palmaribus trophæis redimitum JOANNEM, Poloni Regno ſuo digniſſimum elegerunt, ſolioque Sarmatico

co bearunt; imò verius dicam JOANNES ſeipſo Poloniam & Vota illius beavit. Non enim Auguſto Diademate inſigniri voluit, priusquam agonali plane Stadio, pro ſalute Patriæ contendiſſet, & niſi hic inopinati Interregni obſtaret eventus, Camenecum Podoliæ, clade Turcarum perterritum, pro tunc, feſtinantius Regno Poloniæ reſtitutum fuiſſet, invaleſcente Victoris famâ, illumque à continuandis bellicis progreſſibus, ſalute Reipublicæ ex acie mordicus evocante; quâ, prout fieri potuit, domi intusque ſtabilitâ, in Ukrainam denuò Electus tantùm properavit PRINCEPS, ut impendentem ſibi Patriæque, ab hoſtibus circa Braclaviam metatis, interitum averteret, ubi ſatis præpropero, modicoque militum numero, ob continuas cum Barbaris luctas, nervumque Belli tot annis protracti deficientem, collecto, robur illud extremum fermè incurſionibus Tartarorum objecit, eorumque condenſatam multitudinem, absque intermiſſu copias ſuas laceſſentem, tam fortiter ſuſtinuit, ut Ipſum Legatione ſua ſeria nè illa, ac perſtrictiva fuerit, compellare non omitterent; ſecum potius in Acie cruenta paciſceretur, Regnumque nondum ſua Coronatione firmum, niſi illo privari mallet, repeteret; quam pertinaci contra ſe niſu minus ad ſtabilimentum Dominii profuturo digladiaretur. Sed prætermiſſo hoc Barbarorum objectu, inceſſantibus diu noctuque ſupervenientibus congreſſibus, demùm & ipſo prœlio Victor, ex illo ad CORONAM REGALEM remeavit campo.

U Tan-

Tantus quippe erat in JOANNE galeæ militaris ardor, ut integro biennio pertinaci quodam certamine contenderit cum CORONA. Ignorabant plane Poloni, REGEM habuerint, an MILITEM? quod nunquam potuerit dedidicisse DUCEM, imo REX aliter esse noluit, nisi simul & MILES esset. Tandem post biennalem Regii honoris cum agone Castrensi luctam, coronavit illud Augustum CAPUT grata POLONIA; quod ferrea per tot annorum decursus gravavit Cassis. Ejusdem felicitatis SOCIA & particeps facta MARIA CASIMIRA, Consors, quæ Regali diademate evincta; præmioque Virtutum Illustrium decorata, fæcunda MATER extitit. Enixo namque JACOBO, Principe primogenito Filio; subsequentibus annis, Filias novem morte infantili extinctas, THERESSIAM, CUNEGUNDAM Superstitem, tum ALEXANDRUM, demum CONSTANTINUM, & JOANNEM triennali Vita perfunctum, Regios Poloniæ ac Magni Ducatus Lithuaniæ PRINCIPES, ac Principissas Orbi Christiano, fausta genitura prodidit, quos inter Delicias Generis humani, utpote tanto Connubio procreatos, GENS POLONA coluit & suspexit, Orbis Europæus interventura generatione, maximos inter Christianos Principes immiscuit ac distribuit. Non diu tamen JOANNEM quietum tenuit Solium, quem ad ulteriores ex Barbaris legendas victrices Laureas, Roxolanum invitabat solum. Ad metam ergo perennis Gloriæ decurrendam; æmu-

mulum rursus IMPERATOREM TURCICUM, Coronatus habuit PRINCEPS, cui per vindictam reprimendo, octuaginta Scytharum, triginta verò Turcarum millia immiserat, castrisque ad Zorawno in Russia, Ductore SERASKIERO, omni bellico apparatu instructo, metari & in quemvis eventum, Dacicis, Moldavicisque subsidiis convolare jussis, pugnaturum præstolabatur; sed cautum & sagacem Excubitorem reperit JOANNEM, qui in occurrendo periculis intrepidus, in Hoste amoliendo perspicax, in assultibus fortis, in ambiguis animosus, utrisque obnixus plantis, imminentibus supra cervices Polonorum fatis, fuit colluctatus. Rapuit nempe effrenato furori laxatas habenas, Equum, & Ascensorem prostravit, aggeremque non alium hosti, quam corporis sui objectum posuit: nimirum quindecim millia bellatorum, centenis barbarorum millibus suffecisse ratus, statariam non reformidabat Aciem; donec post cruenta Belli præludia, tentatasque sæpius Scytharum multitudine aggressiones, ad scopulum Virtutis Polonæ allisus hostis, cædeque suorum aliquoties rejectus ac imminutus, ulteriori destitit molimine; imo cum iisdem Scythis impellentibus, cladisque suæ præsagis, solicitatus & inductus Turcarum SERASKIERUS, non omitteret, si Poloni inclinarent ad Pacis tractatum, rem esse cum fortibus & in omne periculum projectis Viris, quos Nomen, REGISque recens Coronati præsentia sibi bellis apprime noti, in extremam accenderet audaciam,

alioquin cunctis ſuccumbendum fore. Juvit efficaciter, imò ferventius urſit Scytharum propoſitum, provida ſubtiliſque inventio REGIS, qui dum in Succurſum Lithuanicas copias ad Urbem Leopolim ſubſiſtentes, MICHAELE Radzivilio, illius exercitus Campiduce & Cognato ſuo, præſtolaretur & ob inſeſſa undique ab immenſa Tartarorum frequentia Itinera, vix adventuras prævideret, Tabellarium quendam, doli ac fraudis bene ſcientem, & liberandi ex interceptu Scythico ſecurum; literis quaſi à Campiduce, Radzivilio, aliiſque Regni Primoribus, auxiliares Legiones ferendarum ſuppetiarum denuntiantibus, infartum per abdita Viarum, quò à palabundis Scytharum interciperetur, proficiſci & evagari juſſum ſubornavit, illoque in manus hoſtium per fugam concedente, & ad SERASKIERUM Turcarum deducto, infractæ rei momentum profuit; reſeratis quippe literis, HANUS Crymmenſis ei collocutus; ſi in præſentiarum fœdera Pacis omitteret, in ea poſthac exercitu aucto, nequaquam deſcenſurum REGEM ominaretur. Hoc itaque motivo, itum eſt ab utrinque in negotia Pacis, quibus ex Voto ſancitis, Turcæ ad propria digreſſi; Ablegatum confirmandi ex mente tractatus, ANDREAM MODRZEVIUM, Legionis Polonæ Colonellum Conſtantinopoli habuêre.

Reddita poſtliminio Poloniæ tranquillitate, quâ integro ſexennio delibuta fuiſſe videbatur; Orbis Chriſtiani Prædo, Regnorumque inſatiabilis

Vorago, Turcarum potentia, in nova denuò repullulavit capita, quibus decutiendis, alter POLONIÆ HERCULES poſt quantulumcunque reſpirium objiceretur. Porro non ſibi; ſed communi Chriſtianitatis bono genitum dixiſſes; qui non tantum nativæ Poloniæ vitam, verum alienam etiam in ſinum tutelæ accepit Salutem. OTTHOMANUS namque percuſſo cum Polonis fædere, armisque in Moſchum obverſis, Urbem Czechriniam, in Ukraina, firmo præſidio ad omnes caſus inſeſſam, validoque Exercitu Moſchorum ad propugnandum ſubmiſſo ſecuram, grandi Apparatu bellico agreſſus, & in acie prœlio Victor extitit, & Urbe potitus ſuperbè ac faſtuosè moliminis ſui intento ad Votum ſuccedente gloriabatur; in tantumque intumuerat, ut majori pro anno ſubſequente per Provincias ditionesque ſuas intonante Claſſico, paratuque indicto in HUNGARIAM, ac demum in AUSTRIAM arma promoveret: quibus pro tunc in Polonia ad Zorawno retundendis, quamvis JOANNES Noſter, Principum Chriſtianorum vicina exambiret ſubſidia, nemo Vires, nemo Opem contulerat. Spargebantur interea ferales ex AUSTRIA, ingenti Turcarum Scytharumque multitudine inundata, rumores, Tartaris Crimenſibus ſuo cum Regulo, igne, ferro, Civitatum populorumque excidio, plebis numeroſæ in ſervitutem abactione, quaqua verſum AUSTRIACAS Ditiones populantibus. Cumque Reges ac Principes DOMUI AUSTRIACÆ Cognationibus

& Affinitate, innexi, in ejusmodi incendii quantocyus restinguendi, Bellique propulsandi societatem vocati subsidia tarda, partim appromitterent, partim Confiniorum propria defensione Vicinorumque suspecta Pace impedirentur; solis IMPERII Viribus collectis, Principibusque Sacri Romani Imperii ac Electoribus obnunciatis, in POLONUM vicinitatis & amicitiæ cum DOMO AUSTRIACA tenacissimum atque Otthomannicæ Potentiæ nativum Hostem, obversi oculi, qui in prœliarem arenam, contra immanem illam Orientis Procellam pro gloria Crucis, totiusque Christianitatis præsidio, cataphractis passibus ire, Viresque suas multa Armorum conjunctione innectere non omisit. Sacrum igitur promovente fœdus INNOCENTIO UNDECIMO, Pontifice Maximo, quo Poloni Germanorum Viribus conjungerentur, adnitente, in Comitiis Regni Generalibus, suos per Legatos, magnanimo & piissimo Occidentis Imperatore, LEOPOLDO, JOANNE Rege sanciendæ ex Voto totius Romani Imperii colligationi efficacem apponente Manum, Duces bello strenuè obeundo adsciti, STANISLAUS JABLONOVIUS, Russiæ, & NICOLAUS SIENIAVIUS, Volhiniæ Palatini, ille Suprema, hic Campestri clava à JOANNE decorati; devotum, pro salute & integritate Christiana, REGEM extra fines Regni bellico insequebantur Comitatu. Qui priusquam moveret, Divæ Virgini Matri, Poloniæ Tutelatrici, in Claro monte Częstochoviensi, pia Vota

pro

pro felici ſucceſſu appenderat, ubi effuſis conſcientiæ noxis, pane Euchariſtico refectus, gladioq; ex Archivo illius Cænobii ſibi oblato armatus, iter arripuit Tarnovicios verſus, quo REGINA FILIIQVE pro tunc minorennes, ALEXANDER & CONSTANTINUS ipſum comitabantur, unde reditu Cracoviam facto, toto planè trimeſtri, ſacris Precibus elargiendisque in pauperes Eleemoſynis aliisque piis operibus pro fauſto Belli eventu REGINA vacavit. Commovendæ ad fortia agenda Virtuti; quamvis innata alacritas non deeſſet, JACOBO, Poloniarum Principi, à Sereniſſimo CAROLO SECUNDO, Hiſpaniarum ac Indiarum Rege Maximo, priusquam ſe cum GENITORE SUO, Vienneſi accingeret Expeditioni, offertur ultrò Privilegium ad Ordinem Equitum Aurei Velleris, quo Duces ac Principes, Reges ac Imperatores, Domui Auſtriacæ propenſi, innectuntur, ſuſcipiendum. Quod ubi per Pientiſſimum LEOPOLDUM Imperatorem pro tunc transmiſſum eſt; demum poſt peractam feliciter Provinciam in Auſtria; dum Sponſæ ſuæ, Sereniſſimæ HEDVIGI ELISABETHÆ, Principi Neoburgicæ, obviam ad Regni Polonici confinia progrederetur, ipſum VELLUS AUREUM, per CAROLUM, Comitem de Walſzteyn, Supremum Aulæ Cæſareæ Camerarium, in Civitate Kępno, ſolenni inveſtituta redditum fuerat. Ibat ergo trajecto ſuperatoque ad Tulnam cum Exercitu ſuo, Danubio, intrepido pede in montana JOANNES, Primogenito Filio, JACOBO, magnæ ſpei Principe, & ad

prima belli Tyrocinia vocato Juvene comitatus. Animabat ingentes auſus fortiſſimi Ducis ſtrenuique militis præſaga boni Ominis, & futuri eventus Ales fortuito apparens, ſignaque Caſtrenſia prætervolans Aquila, quæ à Nikielsburgo, Exercitum Polonorum comitata, diebus aliquot integris jam principia Caſtrorum anteibat, jam mediis intervolitans Legionibus, ac ſi REGEM indigitare complectique vellet, jam extremas cohortes ſubſequens, mirum in modum ſuo usque ad ripas Danubii applaudebat volitatu. Quo ceſſante poſtmodum Species Columbæ in aere viſa, Marco Aviano, Ordinis Capucinorum Religioſo, ſanctimoniâ Vitæ & pietate eximio, qui indubiam ex hac præfigurata cœleſti Alite ſpoſponderat Victoriam. Fortunatus hic trames per Alpes Noricas erat. Ipſi namque gibboſi Carpathii montes, elevatiori dorſo Chriſtianam extulerant Militiam, ut velociori, ex illorum propendenti ſupercilio, in Hoſtem procurreret ac inveheretur impetu. Adfuere quoque Sacri Romani Imperii Exercitus, prudentia, & animoſa pietate magnanimi Imperatoris LEOPOLDI, pro communi defenſione evocati, viris, equis armisque inſtructiſſimi. Adfuere in Perſonis, Sereniſſimi, MAXIMILIANUS EMANUEL, Bavariæ, & JOHANNES GEORGIUS TERTIUS, Saxoniæ Electores, copiis militaribus metuendi, ex quibus ad ſtatariam pugnam ignitas Acies, ad equeſtrem, fulminatrices Legiones vidiſſes. Aderat & Sereniſſimus CAROLUS, Lotharin-

ringiæ Princeps, exercitus Cæſariani Ductor, tantum Regimen, Martialibus factis, à primo Orbis Europæi Capite promeritus, reliqui quoque Imperii Principes, ad perennem poſteritatem memorandi, Heroicam non ſubtraxerunt Alacritatem, qua in acie conſtituta, dum VIENNA Auſtriæ, hoſtili circumvallata cuneo, reboantium ictibus tormentorum peteretur, jamque per Janizeros Turcicos Mœnium ſuffoſſione, actisque ad ipſas Urbis portas cuniculis preſſa, extremam Impreſſionem, exindeque Ruinam & ultimum præſtolaretur Excidium. Præſto cum Exercitu adeſt POLONUS HEROS, qui Supremo in conſociatas Colligatorum Ducum ac Principum Vires Regimine perfunctus, contra infeſta Turcarum Agmina, intrepide aciem promovet, primis Polonorum ante alios prœlium capeſſentibus, quos Subſidiariæ Imperii Legiones, partim juvarent, partim à tergo & lateribus tutarentur. Colluctatis demùm à mane uſque ad veſperam, Dies Dominicus, menſis Septembris duodecimus erat; utrisque inter ſe Exercitibus & ad invicem ſeſe propulſantibus ad magnanimum cataphractæ Legionis ALEXANDRI, Regii Poloniæ Principis, inſultum & infractum robur, vertit terga barbarus, quem puduiſſe non debuit ab Heroe Sarmatico vinci, à quo partæ feliciter Victoriæ Labarum Otthomannica Luna inſignitum, ſtatim ex illa cruenta Acie INNOCENTIO XI. Pontifici Maximo in Sedem Vaticanam ad perennem memoriam transmiſſum eſt.

Turcis ad latus Danubii diſpoſitis, pone ſylvas denſi Tartarorum Ordines & manipuli, ad partem dextram conſtiterant, in quos ſuis cum Legionibus Regni Poloniæ Exercituum Duces, JABLONOVIUS & SIENIAVIUS primi invecti, perruptisque ipſorum cuneis, viam vincendi reliquis patefecere. Urgebat veloci impetu pudor & metus, diſſipatum Hoſtem; in quem hinc triariæ Polonorum cohortes effuſis invehebantur Equis: inde Statarius Germanorum ignis, necdum totaliter extinctos ſuffocabat Spiritus; diſparuit monſtroſum illud Caſtrorum Portentum, evanuit campis Barbarus, profligatæ phalanges, quæ ſibi ex debellata Auſtria, imò tota Chriſtianitate, ingentes ominabantur Triumphos. Itum eſt per ipſorum caſtra, ferro ad uſque Solis occaſum infugitivos ſæviente, & niſi ſuperventus noctis terga profligatorum oculis eripuiſſet; ne reliquiæ quidem ſupereſſent. Attonitus & clade ſuorum imminutus, ſimul cum HANO Crimmenſi, fugiebat VEZYRUS, qui trecentis Turcarum Scytharumque millibus formidabilis, toto triennali paratu fabricatis & ad VIENNAM ægrè præ magnitudine conductis tormentis, Chriſtianas explodere parabat vires: at ſuis ipſe ingemuit Fatis, Exercitusque numeroſi multitudine diſperſa, fugitivorum ſubſecuta Cæde, Tormentis eodem in loco ad VIENNAM relictis, Janizarisque in ſinuoſo cuniculorum anfractu internecione deletis, amplam ſui Prædam, opulentasque Manubias Victori Exercitui reliquit. In-

gens

gens profecto Victoria; pietate LEOPOLDI Imperatoris Auguſtiſſimi, magnanimitate JOANNIS TERTII, Regis Poloniarum Fortunatiſſimi, dexteritate Sereniſſimorum Sacri Romani Imperii ELECTORUM, cæterorumque Ducum ac Principum laudabili Fortitudine, & concurſu JACOBI, Regii Poloniæ Principis, tanquam ſui Patris ſuccolanei eximiâ Virtute, ac Chriſtianorum Exercituum, militiæque Polonæ ſtrenuitate parta, ſuum cuique Decus & Gloriam in poſteritate rependet. Occubuere inter præcipuos ex Polonis, STANISLAUS POTOCCIUS, Halicienſis Præfectus, magnæ ſpei Juvenis, cataphractæ cohortis Anteſignanus, JOSEPHI POTOCKI, Palatini Kijovienſis Frater, Filius verò ANDREÆ POTOCKI, Caſtellani Cracovienſis, cujus fidei & dexteritati Vicarium Regni Regimen, quo ad ſecuritatem finium, Rex commiſerat, dum in id belli proficiſceretur, magno Parentis dolore immaturam Filii indolem ad fortia agenda natam deplorantis.

Ergo fuſo fugatoque Hoſte VIENNA tandem feliciter liberata; quæ in penetralia ſua poſtridie ſtatim ingredientem JOANNEM & DEO Liberatori, Ambroſianum Hymnum decantantem inter millena Vota & plauſus Univerſi populi, Salvatorem ſuum dixit, vocavit, ſalutavit. Ipſe piisſimus Cæſar, LEOPOLDUS, in amplexum tanti HEROIS, Lyntzio per Danubium defluus, & REGEM PATREM, & FILIUM ejus PRINCIPEM JACOBUM in hac pugna ſtrenuum Bellato-

 rem,

rem, vidit, laudavit, ſuſpexit. Alternavit interea ſequior Fortuna, vices ſecutæ ſunt mutabiles, & non nihil inverſæ poſt magnam Triumphi ſolennitatem Feriæ. Dumque ad Parkanum POLONUS continuandis ex Turca inſtaret Victoriis, ac propter remiſſiorem Exercitus ſui Diſciplinam, ſeu verius, Licentiam militarem, ut eſt inſolens & Hoſtium contemptrix Victoria, nec tempeſtive conſtitutos militiæ lentius procedentis Ordines; attentaret pugnam, deſperata Turcarum undique ex præſidiis Hungaricis collectorum inundatione perculſus, curſum Fortunæ ſuæ ſiſti poſſe videbat, ni redeunte in præcordia POLONORUM Virtute, majorique ex lapſu animo, quam pullatam ſub Jove induerat Veſtem, ſub Saturno, ſanguinea ex clade Turcarum decoraretur Purpura. Repreſſus enim à Turcis Polonorum Exercitus, cujus exigua manus, ad obſervandos hoſtiles conatus, ſub Regimine STEPHANI Bidzinski, Caſtrorum Præfecti fuerat præmiſſa, & dum REX ſubſequeretur, ſuppetias laturus, jam illa manu ſubmota & ferociente hoſtili potentia, amiſſoque STANISLAO DENHOFFIO, Palatino Marieburgenſe, ob gravedinem corporis in illo conflictu ſuccumbente; Viro, quâ generis claritudine in Regno Poloniæ propagata, quâ civili Prudentia, rerumque gerendarum præſtantia, & innata ſubeundis pro Patria periculis Animoſitate dexterrimo; retroceſſit. Hunc unum glorioſis illius Triumphis Fortuna immiſcuit caſum, quo ad altiora aſcenderetur tro-

phæa.

phæa. Rependit abunde triduana expectatio unius Horæ jacturam, & quod finiſtra Hoſti dedit, dextera eripuit. Furebat nuperrimo efferata ſanguine Barbaries, quaſi jam Chriſtianas devoratura Legiones, ſed obturata ſunt ferocium ora, ſorbuit hanc relictam ex Clade VIENNENSI eluviem Danubius. Namque ad triginta millia conglobatus hoſtis, ſtataria pugna decertare ad Parkanum cum Noſtratibus non deſtitit, donec fuſus fugatusque, & rupto ponte, Danubio immerſus, ſanguinariam ſui Cladem Colligato & Victori exercitui relinqueret. Capti ſunt illorum BASSÆ, Agriæ & Siliſtriæ Præfecti, à Polonis, & LEOPOLI in Ruſſia per aliquot annos detenti, donec lytro apud JABLONOVIUM, Supremum Regni Exercituum Ducem, exſolverentur.

Binis jam Aciebus proſtratam Barbariem, amplius in campum prodire puduit, quæ ſuccisis attenuatisque Viribus; ſola tantum Urbium propugnacula inſederat, & inſequentis Autumni tempeſtatibus, & locorum munitionibus ſecura, quaſi hoc capiſtro, reliquas REGNI HUNGARICI ditiones, in ſua poſſeſſione retentura; Aſt non evitavit Victorioſum Martem. Ordinatus enim à JOANNE, Primogenitus Regius Princeps, JACOBUS, poſt captum Strigonium ad Sicinum vi expugnandum, dum quaſſandis demoliendisque mœnibus, militarem admovet Manum; ſolo Nominis terrore perculſi Barbari; fideique ac clementiæ ejus indubii, poſt modicam quantum licuit

renitentiam, ultro ſe Vitam Libertatemque abeundi pacti dedidere, & Victoris amplexi pedes, graviorem Fortunam non conquesti, reliquis quoque Fortalitiis, ad ſimilem præiverunt manſuetudinem. Lithuanus interea Exercitus, ad ulteriores belli progreſſus, ſeſe accingens, ac reſervatus, jam poſt binas triumphales Palmas, Viennenſem ſcilicet & Granenſem in Hungaria comparuerat, lectis Viris, Armisque inſtructiſſimus, qui inſequendis Turcarum Scytharumque per Hungariam reliquiis ordinatus, ad ipſas uſque Brumæ rigentis ferias, ſub Dio conſtiterat, donec tranquillatâ ad tempus Regni illius ſecuritate, Finibusque circum circa propugnatis & defenſis, ne pacificatis Imperii Romani Ditionibus, victrice ferro gravis eſſet, in Patriam ſuam, ad continuanda cum Barbaris bella, armaque illorum diſtrahenda receſſit.

Reducem ex Bello ad VIENNAM in Auſtria Turcico, Victorem REGEM, Filiumque JACOBUM, REGINA Conſors, & MATER cum ALEXANDRO & CONSTANTINO Filiis atque TERESSIA CUNEGUNDE, Filia, adhuc tum minorennibus Regiis Principibus Cracoviæ; DOROTHEA Coverò DANILOWICIA, Ordinis S. Benedicti in Conventu Leopolienſi Abbatiſſa, Regis Amita, quæ diebus feliciſſimi Regiminis, ſuo ex Sorore Nepoti ſæpius animitusque benedicere ſueta; tum CATHARINA Radzivilia, germana, Soror DOMINICI in Oſtrog & Zaslaw Ducis, Palatini Cracovienſis primo Voto; ex quo ALEXANDER in virili

li ætate mortuus, & THEOPHILA prius DEMETRIO in Zbaraz & Wiſniowiec, Duci Caſtellano Cracovienſi, Supremoque Regni Exercituum Præfecto elocata, cum illoque ſterilis, demum JOSEPHO, Comiti in Wiſnicz & JAROSLAW LUBOMIRSCIO, Sacri Romani Imperii Principi, Regni Curiæ Mareſchalco nupta, ex quo ALEXANDER Palatinatus Sendomirienſis Præfectus, ac TERESSIA, CAROLO, Principi Palatino Rheni; MARIA verò Duci SANGUSZKO, Magni Ducatus Lithuaniæ Mareſchalco, ſociatæ prodierunt. Secundo verò Voto MICHAELIS in Olyka & Neſwieſz Ducis Radzivili, Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellarii, & Exercituum Generalis Conjunx; ex quo GEORGIUS, Magni Ducatus Lithuaniæ Pocillator, cum PRINCIPE ANHALTINA Deſſavienſi, conjunctus, brevique ſuperſtes, & CAROLUS, Magni Ducatus Lithuaniæ Supremus Cancellarius, cum Duciſſà SANGUSZKOWNA copulatus, prolequе numeroſa auctus, nati ſunt; progenitorum fæcunda MATER, Regiorum verò Principum AMITA, in Ruſſia Leopoli, & Zolkieviæ, inter felices plauſus, & Vota ſublimia ſalutavêre; qui per principales Regni Baſilicas, gratiarum Actione Vindicatori DEO perſolvi injuncta; reſpirio ſibi, legionibusque per ſtativa hyberna diſtributis conceſſo, iterum ſequentibus Annis ad continuandum cum Turcis Tartarisque Bellum, armaque eorum per Conjunctionem Principum Chriſtianorum diſtrahenda, animum adjecit, quâ in-

 vi-

vicem coadunati, formidabilem hanc Orbi Europæo Orientis potentiam, ſuis quisque in Finibus ac limitibus attererent, minuerentque.

Prima Venetiarum Respublica in hoc Sacrum Fœdus Nomine dato, Magnos quoque pro tunc Moſchoviæ Duces, PETRUM, JOANNEM Alexiejowicios, Imperii paterni hæredes ſimul & Succeſſores inclinaverat, ut exemplo ſuo Sacram hanc ambirent Colligationem, quæ & ſi non modico Reipublicæ Polonæ, avulſarum Provinciarum diſpendio conſtitit, tamen ad propagandam Salutiferæ Crucis Gloriam, Nominisque Chriſtiani augmentum & Famam multum contuliſſe videbatur. Præivit ergò huic Sacro fœderi JOANNES motis in Poloniam ad Zwanecum Copiis, & dum Exercitus Turcarum, meditamenta Belli in Hungariam contra Imperatorem LEOPOLDUM attentaret, Ipſe partim Otthomannicas, partim Tartaricas illa expeditione diſtinuit vires, fortique in Confiniis reſiſtentia, ne quo intendebant, perrexiſſent, non modò cohibuit; ſed etiam victricibus repreſſit Aquilis. Subſequentibus annis, bello non ceſſante, Duces ſuos, STANISLAUM JABLONOVIUM, Ruſſiæ Terrarum Palatinum, poſt Caſtellanum, Cracovienſem Supremum Copiarum Ducem; & ANDREAM, primò Kijovienſem, deinde Siradinenſem Palatinum, demum Caſtellanum Cracovienſem, nec non FELICEM, Palatinum Cracovienſem, Potoccios Fratres, inter ſe germanos Campiduces ex Regno; ex Lithuania verò

CASI-

CASIMIRUM SAPIEHAM, Vilnensem Palatinum, & Supremum illius Ducatus Exercituum, ac JOSEPHUM SLUSZKA, Castellanum Vilnensem, sub alternum Præfectos, ad sistendum hoc sanguinis Christiani diluvium, distrahendamque Barbarorum Potentiam, ne tota mole, unicuipiam Imperio ingrueret, cautus, & sagax palmarisque PRINCEPS ordinaverat, qui ad Bukovinam, deinde ad Camenecum Podoliæ, memorando Exemplo, gravem illam Procellam fortissimè abegerunt, repressisque aliquot Vicibus, Scytharum numerosissimis Catervis, quæ sæpius in nova recrudescebant agmina, Vicinis ad similia heroica facinora præludebant. Hinc Moschi Turcas ad Azoviam aggressi, toto planè triennio cum illis conflictati, Provinciam amplam, cum Urbibus ac Territoriis, finitimisque Ditionibus feliciter in suam rehabuerunt potestatem. Applaudente prosperis eventibus fortuna magnanimo Imperatori LEOPOLDO per Hungariam ubique Victori, & interceptarum Urbium ac Provinciarum in illo Regno, glorioso Vindicatori, non defuit à latere proprio JOANNES. Collecto quippe instructissimo Exercitu Crimmeæ, (antiquis Taurica Chersonesus) expugnandæ potiundæque, & ultra Danubium Pontumque Euxinum abigentis Scytharum Hordis intentus, in Persona sua, Campos illos vastissimos, ac desertissimos Budziacenses, qui Tuguriis mapalibusque Tartarorum insidebant, Victrici emensus stadio, inhabitatos illos Tauricanorum nidos,

talionem pro incurſionibus Podolicis reddens, Igne, Ferro, Excidiis, Populorum abactione eradicabat; Coſacis Zaporovienſibus jam ſibi morigeris, Dominiumque ſuum agnoſcentibus, in ipſa uſque Tauricæ meditullia ad vaſtandum populandumque Ferro Victrici immiſſis. Et ſi Moſchorum pro tunc vi Sacræ colligationis, altera ex parte urſiſſent Copiæ, tanquam proximiores Tauricæ, jam iſta generis humani Colluvies, ſuis, orba ſedibus, nomen tantum, & memoriam ſui; illis in locis Poſteritati reliquiſſet. Nihilominus Valachiæ Principatu JOANNES potitus; Provinciam olim Regibus Poloniæ, Anteceſſoribus ſuis, jam Feudalem ac Tributariam, jam Jure Clientelæ poſſeſſam; à Turcarum potentia, in Chriſtianam aſſeruerat Libertatem, plurimisque Fortalitiorum, à Barbaro vindicatis, utpotè Jaſſiis, Sede Ducali, Soroca, Soczavia, Niamcio, Dragomirnâ, Campelongo, & Chriſtianæ poſſeſſioni reſtitutis, Præſidiis Polonicis firmaverat, non ſine ſingulari Numinum Providentiâ illis apertis Limitibus, Viam quandoque trans Danubium, & ultra Mare Euxinum, Fortitudini Orthodoxæ & Concordiæ Principum patefacturam. Felicitate Armorum, ac Victorioſi Principis gloriâ illecti Moldaviæ, Daciæ, reliquarumque quondam Chriſtianarum Provinciarum Dynaſtæ; ultro ſe in Clientelam Patrociniumque Regium dedere feſtinabant, Jugum ſervitutemque Otthomannicam à cervicibus, hoc Bellatore amolituræ, niſi infeſta he-

heroicis Virtutibus, ſucceſſibusque fortunatis, minus propitia invidiſſent Fata.

Poſt felicem in Auſtria Viennenſem Expeditionem, individuus PATERNO lateri, omnibus in Caſtris toto fermè Decennio continuatis aderat COMES primogenitus, JACOBUS, Filius, Regius Princeps, eximia ad fortia Indole & ſpectata ubique Martiali Virtute animoſiſſimus, rerumque militarium non mediocriter peritus; dumque Frater illius ALEXANDER, Regius Princeps, immatura tum Juventa decorus, uni tantùm PATERNÆ Expeditioni in Valachia interfuiſſet: Ipſe ut Natu Major, dignos futuro Leone explorabat ungues; & commiſſa ſibi ad invadendum rehabendumque Podoliæ CAMENECUM, à Patre Laboribus bellicis, ac Valetudine feſſo, Curâ ac fortunæ alea; ut REGIO ſanguine dignum erat, gnaviter viriliterque demandata aggreſſus Provinciam, communicato cum belli Ducibus Conſilio, quod ſub illius Tentoriis cudebatur, à Supremoque, egregii ac magnanimi Principis dependebat Arbitrio, Urbem illam, naturâ loci ſuapte munitiſſimam, ac planè inexpugnabilem, Obſidio vallatam, quâ tormentorum reboantium fragore, quâ ignium miſſilium jactu, quâ fortiſſimis Virorum aggresſionibus, & propugnaculis, cuniculorum ob petroſam ſituationem operâ imposſibili, integro Autumno arietavit & presſit, Scytharumque in Suppetias accurrentium, rejectis fugatisque Moliminibus, indubie ad dedendum adegiſſet, niſi

transfugiis ad hoſtem delatis, ulteriora Rei conſummandæ Conſilia fuiſſent detecta; cautiore ex præcuſtoditione Turca Polonis arcanum evulgatum indolentibus. Ne tamen Fortalitium illud ſecurum feciſſet Barbarum; erectis, ex mandato PATRIS; hinc & hinc binis Propugnaculis, utrisque uno tantum milliari ab Urbe diſtantibus, ac lectiſſimis cohortibus inſeſſis, tamdiu ſexennio ibidem continuato, pulſari, infeſtari, ſuppetias adventantes commeatumque inferre ſatagentes, reprimi & Annonâ excuti, Segetes omnemque Frugum alimoniam conculcari, penitusque anno quolibet, Equitum incurſu deteri adeo perurgebat, ut Turcæ continuas Velitationes, Famem & incommoda diurna nocturnaque faſtiditi, Petram ſcandali, CAMENECUM, & lapidem offenſionis appellatum, omninò dedendum fore autumarent, quod & ſucceſſivè evenit. His in Chriſtianum populum, Regem PARENTEM, Remquepublicam Polonam meritis claro & inſigni PRINCIPI, dum ALEXANDER, CONSTANTINUS & THERESSIA, Regia magnæ Spei Soboles, ſui verò Fratres, & Soror in Adoleſcentiam relicta Pubertate, emergunt, ne tanto PRINCIPE digna Stirps ſterile ſubiret Sæculum, offertur in thori Vitæque Sociam Sereniſſima HEDVIGIS ELISABETHA AMALIA, præcipua & ſingularis ævi ſui, quo ad Prudentiam, Pietatem & Verecundiam, Virtutumque omnigenarum decus, & augmentum Virago, Sereniſſimorum, PHILIPPI WILHELMI, Ele-

Electoris Palatini Rheni, ex Principibus Neoburgicis, & ELISABETHÆ AMALIÆ, de Domo Landgraviorum Hassiæ Darmstadiensium, magnorum in Europa, quâ late patet, Nominum, dignissima Filia, cujus avitam Cognationem si per Orbem Christianum spectes; ipsa se utriusque generis Linea in propatulum effundit. Et quidem citra invidiam masculinæ Genesis, primas partes occupat, Augustissima ELEONORA MAGDALENA TERESSIA, Augustissimi & Gloriosissimi quondam Divæ Memoriæ, LEOPOLDI Primi, Romanorum Imperatoris felicissimi, Consors & Imperatrix magnanima, sæculi sui pientissima HEROIS, Ejus verò germana Soror, ac Magnorum in Orbe Europæo, JOSEPHI Primi, WILHELMINÆ AMALIÆ, Hannoveranæ Principissæ copulati, non ita pridem Vitâ gloriosè perfuncti; tum CAROLI SEXTI, feliciter Regnantis, Hispaniarum & Indiarum Regis Catholici, omnigenarum Augustissimæ Stirpis suæ Virtutum compendio celeberrimi, ELISABETHÆ, Brunsuicensi Wolfenbutellianæ Blanckenburgensi Principissæ sociati, ex qua desideratissima Domui Austriæ, Orbique Christiano proles Filius, LEOPOLDUS, publicæ Spei, Thronique Imperialis Successor in Bonum Universale, Populorumque solatium recens prodierat, Filiorum Imperatorum fæcundissima Progenitrix, quæ multarum Matronarum celebritatem supergressa, Sanctimonia Vitæ, in egenosque profusa Liberalitate

ac Munificentia insignis, & Divas Sacris Virtutibus imitata Viragines, in Domum Austriacam clarissimam, omnigenarum cœlitus Benedictionum ac fæcunditatum seriem, non modo cum sanguine suo intulit; Verum etiam seræ Posteritatis Lineam decoravit. Altera, MARIANNA, CAROLI SECUNDI, de Austriacis Regis Hispaniarum ac Indiarum Catholici: Tertia, MARIA SOPHIA ELISABETH, PETRI Secundi, Regis Lusitaniæ: Quarta, DOROTHEA SOPHIA, Ducum Parmensium, primo, ODOARDI, dein FRANCISCI, Fratrum inter se Germanorum, Domus Farnesianæ Hæredum, Consortes: Quinta, LEOPOLDINA ELEONORA, immaturo fato extincta, quæ omnes Serenissimæ DOMUS NEOBURGICÆ Viragines, & ad invicem uterinæ Sorores immensam sui Æstimationem, tum Pietate, tum Prudentiâ, tum insigni Fæcunditate Orbi Universo repræsentant. Si virilem introspicias Sexum; post Maritum, & Filios binos, Occidentis Imperatores felicissimos, descendunt in paginam, JOANNES WILHELMUS, Elector Palatinus Rheni, è numero Viventium sublatus, WOLFGANGUS GEORGIUS, Episcopus Vratislaviensis, Sacro Ordine, & Vitâ gloriosè perfunctus: LUDOVICUS ANTONIUS, Magnus Ordinis Theutonici Magister, & Electoratus Moguntinensis Coadjutor, itidem fatis functus; CAROLUS PHILIPPUS, Princeps Palatinus Rheni superstes Elector, primo Voto, LUDOVICAM CAROLINAM, LUDOVICI, Principis Brandenburgici Vi-

Viduam derelictam, RADZIVILIAM Principem; secundo verò TERESSIAM Principem Lubomirsciam, JOANNIS TERTII, Regis Poloniæ ex Sorore proneptem nactus: ALEXANDER SIGISMUNDUS, Augustæ Vindelicorum Episcopus: FRANCISCUS LUDOVICUS, Magnus Ordinis Theutonici Magister, & Electoratus Moguntinensis Coadjutor, Vratislaviensis, Wormaciensis Episcopus, Sacri Romani Imperii postulatus Elector, Archiepiscopus Trevirensis, & Supremus totius Silesiæ Gubernator: FRIDERICUS WILHELMUS, in aggressione Moguntinensi pilâ tormentaria enectus: Ad extremum PHILIPPUS WILHELMUS, Palatinus Rheni, MARIÆ ANNÆ FRANCISCÆ, Saxo-Lauenburgicæ Ducissæ copulatus jam Vita perfunctus, germani & inter se, & Serenissimæ HEDVIGIS Fratres, omnes Principes Neoburgici, qua Electoratibus Sacri Romani Imperii, quâ Sacris Characteribus, mitrisque Ducalibus, quâ heroicis Virtutibus, & bellica Fortitudine præstantissimi, Dexteritatem, Prudentiam, cum innata Magnanimitate conjunctam; tanquam hereditaria suæ Domus inclytæ Decora, Orbi palam faciunt Christiano & Serenissimæ SORORIS SUÆ propaginem magnis augmentant Nominibus. Ex hujus itaque cum JACOBO, Regio Poloniæ, & Magni Ducatus Lithuaniæ Principe, maritali Connubio prodeunt: MARIA LEOPOLDINA immatura sublata morte: MARIA CASIMIRA: MARIA CHARLOTTA: tum JOANNES,

Filius, infantili extinctus fato, Unicum Regiæ Domus incrementum, & Spes Parentum maxima, ac MARIA CLEMENTINA, superstes, & MARIA MAGDALENA infans Viennæ in Austria nata & mortua, ibidemque in tumulo Imperatorio sepulta, Filiæ Gentis Polonæ Reginulæ, quarum ingenitas à Majoribus Virtutes & quasi compendia-ta qualitatum eximiarum Decora, egregii Principes, non absque Veneratione ambient aliquando & in Socias Vitæ Thorique maritalis procabuntur. Priusquam verò elocationis earundem futuræ attingantur Initia, descendunt in Cognatam aream Serenissimi MAXIMILIANUS EMANUEL & CLEMENS ANTONIUS, Archiepiscopus Coloniensis, Bojorum Duces, ac Sacri Imperii Romani Electores, Fratres inter se Germani. Qui multorum in Orbe Christiano, Ducum, Principum, Regum ac Imperatorum nexus consanguinitates, heroicarumque Virtutum augmenta, in se velut concentrata complexi, tanquam bini Europæ Atlantes eam validissimis fulciunt, ac succolant Humeris. Primus quippe cum TERESSIA CUNEGUNDE, JOANNIS TERTII, Magni Polonorum Regis Filia copulatus Concordique illius Conjugio, in quo Pietate orthodoxa; morum venusta Claritate, paternarum maternarumque imitatione Virtutum, verecundiæ insigni Exemplo, ac in Statu Electorali attemperata modestia enituit eminuitque, magnopere delectatus, nobilissimo Fætu, quinquatrium Heroum, præter quaternam Sobo-

lem

lem immaturo fato extinctam, nempe CAROLUM, primogenitum, hæreditarium Electoratûs Bavarici Principem, tum PHILIPPUM, demum FERDINANDUM, post CLEMENTEM ac deinde THEODORUM Filios; & ANNAM DOMINICAM Filiam, Bojorum Duces, Orbi Christiano prodidit, magnorum Sobolem Regum, pariturامque quandoque Reges. Offert se, & paginam subit CONSTANTINUS, Regius Poloniæ Princeps, magnæ Spes altera Domûs, vivâ Imagine Patris effigiatus nativaque Dexteritate præpollens, paternæ magnanimitatis Imitator & Hæres, cujus congenitas à Natura, & Prædecessorum Sanguine Dotes, aliis suspicere, aliis mirari fas sit. Vultu amœnus, Artium liberalium studiis, Linguarum exoticarum culturâ probè instructus, cuique obvio, Sermone comis. Martium Vigorem spirans, Affectus, & Corda Populorum in sui Amorem, Cultumque Herculeâ quasi Catena rapiens, propenso in Polonam Gentem animo laudabilis, cæterisque Regiarum Qualitatum Ornamentis eximius, quidni aliud portendat, quam copiosum & vastum quendam rebus gerendis Spiritum, quo avita DOMUS HEROICÆ decora, non tantum assequi, sed rectefactorum magnitudine prætergredi valeat, ipsius Naturæ impulsu Antenatorum suorum vestigiis institurus. Hæc de illo Fiducia, hoc Omen.

Sed o Fortuna Viris invida fortibus! & faciles dare summa Deos, eademque tueri difficiles! Dum primogenitus Regis JOANNIS Filius,

Domui inclytissimæ Neoburgicæ intersertus, sublato per im̃aturam Mortem Virili Fœtu orbus, fæmella tantum beatur Prole, dum Soror ejus, Serenissimo ElectoriBavariæ conjuncta, utriusque Sexus decora inclarescit Propagine. Has inter stellas, in vita sua coruscantes, splendidissimus Poli Poloni Phœbus, JOANNES TERTIUS, Gentis liberæ Rex consummatissimus inter meditamenta Pacis, Cum Porta Otthomannica sanciendæ, ad quam, vel ab ipsis hostibus stabiliendam fuerat invitatus, curis publicis, ac bellicis Laboribus lassus, non sine ingenti totius Christianitatis Dolore, Anno Domini 1696. Villanoviæ ad Varsaviam mortali Vita destituitur, Conjugemque suam, non modo eximia fæcunditate per Orbem Christianum dilargita, verùm etiam singulari in Divos per extructa cultui diurno nocturnoq; Sacratissimi Sacramenti Cœnobia, & adjectas illis opulentas Fundationes pietate, in pauperes larga manu & erogatione, in rebus gerendis supra Sexum prudentia claram & insignem, in Polonam gentem materno planè affectu evisceratam magni mœroris anxiam, & impotem tolerandi cum Filiis, atque Filia, dulcique Nepotum jam visorum jam in ditionibus Europæis procreatorum serie, orbam ac Viduam relinquit. Cujus tantam æstimationem, ob ingenitas Virtutes illius, Magnus Galliarum & Navarræ Monarcha, LUDOVICUS DECIMUS QVARTUS habuit; ut publico suo Diplomate Regio, eam Filiam Galliæ promulgatam, recognoverit, recognoscique in per-

perpetuum voluerit. Multum illa arduis Reipublicæ Polonæ temporibus, ſuaſu, conſilio, dexteritate, profuit; cultuque & viva panis Euchariſtici adoratione, totam planè inflammavit Poloniam, prout illius devotionis exempla, pluribus in locis etiamnum apparent. In Solatium pro tunc Orbitatis paternæ, Filiis defuncti Regis ALEXANDRO & CONSTANTINO, Romæ commorantibus, Potentiſſimus Galliarum & Navarræ Monarcha LUDOVICUS XIV. Ordinem Equitum Sancti Spiritus in Gallia; per Antonium Grimaldi, Principem Monæci, Oratorem ſuum publicum in Signum Regiæ, erga defunctum illorum Parentem, illorumque Perſonas benevolentiæ, transmiſerat. Quem per ejusdem Legati Gallici ſolennem Inveſtituram, gratiſſimo animi ſenſu, & condigna in Regem Chriſtianiſſimum Veneratione ſuſceperunt, non immemores, glorioſisſimum quondam Parentem ſuum, ab eodem Rege ſimilis Characteris dignatione, per Marchionem de Bethune, Legatum in Poloniam, inveſtitum & inſignitum fuiſſe.

Inter hæc REGINA, elapſo triſtis Interregni in Polonia tempore, ſubſecutoque civilis Diſcordiæ turbine, publica Diſſidia pertæſa, vitæque quietioris cupida, faſtiditis Civium Patriæ, malè pro tunc inter ſe cohærentium moliminibus, quo melius orbitati ſuæ, Domusque Regiæ ſecuritati conſuleret, Romam, cum MARIA CASIMIRA, JACOBI, Poloniæ Principis, Primogenita Filia,

ſua verò dulciſſima Nepte, ex turbido ac Domeſticis colliſionibus involuto Regno perrexit, ibique ab INNOCENTIO EJUS NOMINIS DUODECIMO, Pontifice Maximo, Orbisque Chriſtiani regimine Sanctiſſimo, non modo honorificè decenterque, inter Populi Romani plauſus excepta; ſed regaliter toto manſionis ſuæ tempore habita reſiduum annorum, quos poſt fata Regis Mariti ad quatuor luſtra produxerat, tranſigere Sacris Divorum Apoſtolorum Liminibus, mirificâ pietate cultis & obſervatis, planè decreverat, & ſubſecuta INNOCENTII DUODECIMI morte, CLEMENTIS verò Undecimi in Sedem Vaticanam Succeſſoris, regimine viſo, ab eodem pari charitatis paternæ affectu, quo Magni Regis Conjugem, decoramque Propaginem illius deceret, cumulata interiorum ærumnarum jam oblita fuiſſe videbatur. Et ecce, orbitatem ſuam fortiori, quam par erat, imò ſupra Sexum inſigni tolerantiâ ſuccollante recentia, eoque atrociora intervenerunt Fata. Dum enim in Gallias valetudinis curandæ cauſa, natalis fiduciâ Soli, Blæſios Roma profecta eſſet, Neptemque ſuam ſuaviſſimam ſuperius vocitatam ferret; ALEXANDER, Regius Poloniæ Princeps, Romæ remanſit, ibique gravi morbo correptus, ſollicita admodum Medicorum curâ, quam piiſſimus ipſe Pontifex Juveni erigendo perurgebat, fatalem morbum deprimere non valente, ætatis ſuæ curſu poſt PARENTEM, Regem defunctum, ad annum decimum nonum tantum protracto, Menſis

No-

Novembris die decimâ nonâ, anno verò decimo quarto, ſupra ſeptingenteſimum & milleſimum, inter angorem Superſtitis MATRIS, FRATRUMQUE mœrore contabeſcentium, ac ſuarum Filiarum dolorem, ſingularemque Summi Pontificis compaſſionem extinguitur. Eximia planeque omnigena Naturæ & Juventutis decora, in Adoleſcentem concurrerant; Facies illi decora, Oculorum vivacitate conſpicua, Paternoque in fronte, ignis quaſi prominentis indicio, notabilis, Corporis firma robuſtaque compago, Linguarum ſcientiâ, Hiſtoriarum monimentis, & ſingulari Eruditione excultus, Magnanimitatis cum modeſtia conjunctæ, arcanoque intra mentis abdita obvelando Compos, alloquio gravis, Muſarum præcipuus Cultor, cunctaque ſciendi percupidus, Politia atque ſtatus Regnorum peritiâ ad ſtuporem fermè imbutus, ad fortia agenda animoſus ac præcox, contra Scythas in Valachia ad Niamiec, primo Adoleſcentiæ flore, Legionum paternarum Ductor, & Legatus eos fortiter ſuſtinuit ac repreſſit, & quem ipſe Summus Pontifex CLEMENS Undecimus, Communi totius Chriſtianitatis bono progenitum, ac quandoque profuturum prædicebat præſagiebatque. Unde tenerrimo Amoris impulſu commotus ac Regis Parentis, defunctiq; Principis meritorum æſtimatione ſuccenſus, ſolenni pompa circa lugubres Exequias, MATRE ſua in Galliis tunc commorante, Corpus exſangue, Sepulchro inferri tumularique præcepit, piiſſimis pro Anima defun-

cti suffragiis per omnes Ecclesias indictis. Subsequenti demum biennio non minus dolendum funus evenit, ipsius REGINÆ MATRIS, quæ vel Fatorum Iliadem clausura, vel mensuram frequentiorum funerum Domus Regiæ impletura, Blæsiis, die Mensis Januarii trigesima, anno decimo sexto, supra millesimum & septingentesimum, è Vita discessit: cujus eximias Virtutes & præcipua in Rempublicam Polonam merita, anterior pagina recensuit.

Trinis, non sine dolore fidorum Reipublicæ Polonæ Civium, Funeribus, Regiam Domum luctuosè afficientibus, visis ac deploratis; adæquatior digniorque Epilogus rei obvenire non potuit, congerie Laudum, Regia defuncti PRINCIPIS gesta coronante. Immorabar hucusque in exarandis Illius bellicis Operibus, ad quæ subeunda, priusquam toties accinctus fuisset; Adjutori DEO, Basilicas, Cœnobia, Xenodochia extruere, dotareque efficaci semper spoponderat Voto; prout Leopoli in Russia, Fratrum Sancti Joannis à DEO, & Monialium de Monte Carmelo: Zolkieviæ, Ordinis Sancti Dominici Professarum Virginum: Varsaviæ in Masovia, Religiosorum Capucinorum, quorum pietati sui Corporis exuvias dedit: Gedani, in Prussia, libero Catholicæ Religionis Exercitio fundatæ Capellæ; cæterisque in locis, tot Ordinum Religiosorum, Monialiumque, amplæ dotationes obloquuntur, nunc partæ, tot tantisque laboribus quietis, cul-

to-

torem agam. Ipſa quidem quies SERENISSIMI REGIS laborioſiſſima fuit. Nunquam enim ita indulſit otio, ut nihil pro bono Patriæ ageret, imò tunc cùm quieſcere & quaſi nihil agere videbatur, plurimum pro ſalute Regni laborabat, interventuris quavis ex parte periculis, prius occurrens, antequam invocaretur, ſuavique & languido Regimine, ita ſe exhibens DOMINUM, & REGEM, ut PATER ſimul ex Paternæ ſolicitudinis affectu noſceretur, ſuarum oblitus, ſemper Populorum ſtuduit neceſſitati, Regales, quas alii amant, exoſus delicias, ſubditis illas procurare non ceſſabat. Unde volupe eſt animis, illarum recordari felicitatum, quibus ſub auſpicatiſſimo illius affluebamus Regimine. Nullam quidem ab hoſtibus habuimus Pacem; ſed an Bellum gereretur, neſciebamus, Illo pro nobis Bella gerente. Dominabantur etiam ſub fortunatiſſimo Illius Gubernio, quædam communis vitæ Calamitates, nemo tamen ærumnam & dolorem noverat, Ipſo univerſos in ſinum excipiente. Vitâ Ille ſuâ inter continuas mortes, cunctos vivere faciebat, ſuis Sudoribus Otium ſingulis comparabat, ſua Vigilantiâ ſecuritatem Populo, tolerantiâ moleſtiarum, liberos Subditis producebat dies. Unde quotquot à tot Sæculis Sarmatia in ſingulos Regnantes regiarum Dotum beata diviſum Sorte ſpectavit, hoc univerſum in SERENISSIMUM JOANNEM TERTIUM, quaſi in Compendium omnigenæ Virtutis munifica congeſſit Dextera. Amor illius

in Patriam, quantus fuerit, ex arduis, quæ ſuſcepit facile colligere eſt Negotiis. Suis inſomniis dormire, Suis Caſibus ſtare, Sua ſalute in mortes projecta, omnes vivere fecit. Illum Unum ſemper noſtra exceperunt pericula; Ille meta vulnerum erat, quæ in nos plenis Thraciæ effundebantur pharetris. Idem Triarius, Idem Dux, Idem Imperator, Idem miles, ut illum non in REGEM tantum elegiſſe ſibi viderentur Poloni; ſed in Commilitonem, in Panopliam, in Murum, in Animam. Cum Diademate, quo illum Creatrix Regum coronavit CRACOVIA, ſtatim Sollicitudinem de omnibus, Providentiam de ſingulis induit, primam Coronæ interſerens Gemmam, Boni Publici rationem. Hinc ante liberatam à preſſura Otthomannorum Auſtriam non prius in Succurſum pergere voluit, donec oppignoratam, in Aula Imperatoria Sarmatici Regni in eligendo REGE, libertatem vindicaret. Invadiaverat illam incautus Prædeceſſor illius, JOHANNES CASIMIRUS Rex, pro ſubſidiis contra CAROLUM, Sueciæ Regem, Poloniæ Regno graviter tunc infeſtum, & inhiantem, ab Aula Imperiali datis & ſubmiſſis, cum pactione anguſtiis rerum expreſſa, quod poſt ſera & ſterilia illius Fata, aut Auſtriacum; aut quem Auſtriaca proponeret Aula, Poloni eſſent electuri REGEM. Nimirum liberi alias DYNASTA Regni, non benè pretium libertatis noverat, dum illam pro ſubſidiario contra Suecos implicuit ferro, dignius eandem appretiante

JO-

JOANNE, qui pro rehabenda Animam ipſam expoſuit, non alio præmio, quàm vindicata Libertate illectus; licet pro Domo Ejus amplæ & magnificæ pro tunc offerrentur ſtipulationes. Porrò cum Purpura PRINCEPS NOSTER, quandam puniendi verecundiam & ruborem induit. Hinc clementiſſima illius Severitas, & ſevera Clementia amabili Diſcordia, & concordi antitheto omnium captabant animos. Nunquam cum exoſo Dominatore doluit, quòd Literas didicerit, quia manus ejus ſemper ignorarunt characteres, qui alicui Mortem, imo vitam exprimerent. Injurias Majeſtatis, quot diſſimulaverit, quot condonaverit, quot ſciens neſcierit, Syllabum ſola Illius Clementia tenet, imò non tenet, quia ſub ſpongiam dedit. Nulli Illi gratiores, quam ingrati, nulli propius ad Cor & Affectus accedebant, quam qui longius diſtabant animo; nullæ Illi vices jucundiores, quàm odii non reddidiſſe vices. In nullum Capitis ſententia lata, nullus graphio Cæſaris punctus, in nullum ſævitum, etiam extorquentem, nullius bona ſub haſtam venêre vel fiſco addicta, quamvis mererentur. Præventi gratia, qui de venia ſolliciti erant, donati ære & beneficiis, quos pœna exagitabat. In Auge conſtitutus, cum ubique gloriosè feciſſet omnia, illud addidit prodigiosè, quòd abundantiſſima felicitate parciſſimè uteretur. Non erexerunt Illum in Faſtum tot Scythicis cadaveribus ſurgentes à terra tumuli, licet aſtris dominaretur Thrëiciis. Nec

Hoſtem tantum in campo, ſed ipſam Victoriam vicit in animo, idem Triumphator, & triumphatus: ibi Fortitudine, hic Modeſtiâ, quando expreſſa triumphorum ſuorum ſimulacra, non in regali Aula; ſed in Domo Domini, cujus Dexteræ adſcribebat Victorias, voluit aſſervari. Pendent in Eccleſia Zolkiewienſi, Chocimenſis, Viennenſis, Parkanenſis triumphi Signa. In quibus non ſuperbum illud: veni, vidi, vici; verum deprompta è ſacris paginis, Divinam exprimentia Potentiam appinxit Symbola. Profectò qui hunc Monarcham vidit, non eſt quid amplius miretur. Vidit enim Potentiam Auguſti, Felicitatem Cæſaris, Juſtitiam Trajani, Affabilitatem Titi, Magnitudinem Conſtantini, Pietatem Gratiani, Sapientiam Theodoſii, quorum ita Unus omnia expresſit Decora, ut vel in ipſo revixiſſe, vel ex illius virtutum prototypo electi ad Orbis Imperium viderentur. Æſtimavit Regales has illius Virtutes, ter tiaratum Eccleſiæ Caput, INNOCENTIUS XI. ſuſpexit non minus artium bellicarum Peritiam, quàm in arduis perficiendis rebus Prudentiam. Quare arduum illud inter Imperium & Galliam pacis componendæ negotium, cum nullum tanto parem vidiſſet oneri, JOANNI Noſtro commiſit. Et peregiſſet certè ſacrum Pacis opus, niſi invida tantæ Virtuti & Gloriæ Mors, dies vitæ abbreviaſſet. Suſpexit & ipſe Hoſtis tantarum in illo virtutum Majeſtatem. Unde aſſiduis licet aſſuetus bellis, facile tamen interpoſitioni SE-

RE-

RENISSIMI assensit REGIS, de perpetua inter Nos & universam Christianitatem pace concludenda, eo nimirum intuitu, ut quem fœderatæ contra se Christianitatis Motorem Authoremque intelligeret, eundem pacificando Bello primum experiretur Cooperatorem. Atque utinam non invidissent fata, non tam illi, quàm nobis vitæ ipsius cursum, firmiori forsan Gradu res nostræ stetissent. Debuerat sanè hic PRINCEPS nunquam mori, cujus Vita, tantam Sarmatiæ Regno attulit Gloriam, Mors tantum Felicitatis detraxit. Stante Illius Vita stetit Regni nostri inconcussa Fortitudo & Integritas, quam Ipse Orthodoxa Pietate, cultusque Divini propagatione ita suffulciebat, ut in Russia Græci Schismatis, cum Romana Ecclesia uniendi, maximam sibi partem vendicaret: dumque per sui Regni ditiones Sedis Apostolicæ obedientia in Schismate nosceretur, eidem penitus restabiliendæ immortuus est. Fuit tamen & ipse Finis Vitæ illius beatus. Nam celeberrimo totius Christianitatis Festo, videlicet die SACRATISSIMÆ TRIADIS cultui consecrata, quâ Regno Poloniæ gubernando electus & admotus fuerat, ultimam Vitæ Suæ imposuit Periodum. Nec id absque Supremi Numinis arcano. Qui enim gloriosa & laudabili recte factorum magnitudine, Summos illos Macedonum Alexandros, Romanorum Pompejos, Juliosque æquaverat in Vita; etiam in Morte adæquaret. Et æquavit profectò Magnum illum in Solo Ausonio,

Augustum Cæsarem, de quo Chronographica testatur pagina; quod idem illi dies accepti quondam Imperii, qui & Vitæ supremus esset. Habitus & forma corporis Illius decentior & sublimior fuit, nihil in Vultu metus, gratia oris supererat. Frons Imperio digna, ignis quasi radiantis modico decorata signo, optimum PRINCIPEM facile prodidisset, magnum libenter. Et quanquam in spatio annorum sextæ Decadis ereptus est, quantùm ad Gloriam, longissimum ævum perduxit. Quippe & vera bona, quæ in Virtutibus sita sunt, impleverat, & Mareschalcalibus, Imperatoriis, quoad bella; demùm & Regalibus ornamentis conspicuo, quid aliud adstruere Fortuna poterat? Quis fida lamenta Procerum, fletus sinceriorum Civium, vulgata Illius referat morte? Alii Regni animam, alii Libertatis defensorem, Commilitonem alii, alii optimum Ducem, multi Patrem Patriæ, se amisisse effusis deplorabant lachrymis. Tunc primo hostes sensisse cœpimus, dum esse desiit, quantaque nos Calamitatum impugnatura erant Agmina, non vano formidabamus omine, quando Illum, qui ærumnas nostras, suas facere consueverat, per invidiam Fatorum perdidimus. Præviderunt hos adhuc ante sæculum, Regni nostri infaustiores eventus SERENISSIMI REGIS primores, in quorum sepulchralibus hucusque legere est Marmoribus, depromptum è Cantico Judith vaticinium: Væ genti, insurgenti super genus meum. Dominus enim Omnipotens vin-

vindicabit in eis. Laborabat non ita pridem vera Polonorum Pietas, ut oſſa cineresque JOANNIS CASIMIRI, Poloniæ Regis, demùm per ſpontaneam voluntariamque Regni liberi Abdicationem exauthorati, in Regno Galliarum demortui; Regum Polonorum ſepulchris Cracoviam inferret, quo ſtudio, fidem, ac in Regem defunctum non emortuam propenſionem ſuam teſtaretur. Idem amor, eademque pietas, & NOSTRUM PRINCIPEM defunctum intuetur ac ſpectat, qui cùm nemini Regum Polonorum Amplitudine rerum geſtarum ceſſiſſet, monumento tamen PATRUM PATRIÆ nondum illatus eſt. Quidquid ergo in illo amavimus, quidquid mirati ſumus, manet, manſurumque eſt in Animis Hominum, Æternitate temporum, Fama rerum. Nam multos velut inglorios oblivio obruet: JOANNES SOBIESCIUS Poſteritati narratus, & traditus ſuperſtes erit.

SERIES
MONARCHARUM POLONIÆ,
EX QVA
ORTUS ET PRINCIPIUM DOMUS SERENISSIMÆ JANINEÆ, NUNC REGALIS PATRONYMICE SOBIESCIANÆ VOCITATÆ.

LECHUS Primus, Regni ſeu Ducatus Polonici Conditor, circa annum ante Chriſtum natum 470. Monarchiæ præfuit.

VISSIMIRUS ejus Nepos, (nam de Filiis memoria non extat) poſt ipſum ſucceſſit.

Tandem duodecim PALATINI prima vice.

Poſtea GRACCHUS, ſeu CRACUS Princeps.

LECHUS Secundus, Filius CRACI Secundogenitus.

Demum VANDA, Filia Craci.

Iterum duodecim PALATINI.

PRÆMYSLAUS ſeu LESCO primus. Poſt hunc

LESCUS ſecundus, ad Originem Lechi primi collateraliter ſpectans. Deinde Filius ejus

LESCO Tertius viginti quatuor Filiorum Parens, ex quibus SOBIESLAUS, Bohemorum Dux factus Author & Origo Familiæ; Dux Limburgicus, cum Olympia Bojorum Ducis Filia, ARTEMIUM procreavit, qui cum LUD-

GAR-

GARDA Thuringiæ Comite, OTTHONEM ſterilem, & SOBIESSIUM ſeu SOBIESLAUM Fratres germanos; ex quibus

SOBIESLAUS cum Methodia Leſconis quarti Ducis Poloniæ Filia

SVETOSLAUM Chriſti fide donatum, qui ex ZEMISLAVA Ducis Maſoviæ Filia,

JANNEM à breviori Statura Janik dictum, cui BOLESLAUS CHROBRI, Poloniæ Rex, Scutum pro Inſigni JANINA dictum detulit.

JOANNES ſeu JANIK ex MARGARETHA de Fürſztemberg, Comite Stetinenſi,

JOANNEM quoque Filium, Comitem in Białutowice progenuit, qui cum HEDVIGE Holſztynenſi Comite, Regis Daniæ Cognata,

ANDREAM, JACOBUM & PETRUM Janinos Fratres; ex quibus ANDREAS cum Anna Granowſka Ruſſiæ Palatinide,

SOBIESLAUM & GEORGIUM Fratres. Ex quibus

GEORGIUS cum ALEXANDRA Oleſnicka ſterilis.

SOBIESLAUS verò à quo nidus, & vocabulum poſſeſſionum in Palatinatu Lublinenſi, Sobieſzyn, SOBIESKA Wola, aliarumque ditionum, cum CATHARINA de Tenczyn Comite Palatinide Cracovienſi

ALEXANDRUM Vitoslaum, CONSTANTINUM & ADALBERTUM, Fratres inter ſe germanos procreavit, ex quibus

ALEXANDER cum CONSTANTIA Zebrzydowſka Caſtellanide Cracovienſi,

NICOLAUM & VITUM Filios, utrosque ſteriliter deceſſos.

CONSTANTINUS verò ALEXANDRI Frater, & SOBIESLAI Tertiogenitus, cum Theodora in Zbaraz Duciſſa

JOANNEM quoque Filium, qui ob apparitionem S. Michaelis Archangeli LESCONI Nigro Poloniæ Regi, cum cœleſti clypeo, Scutum Janineæ Domus alia jam delineatione ex umbone cœleſti facta, geſtare cœpit; REGE injungente, cum cujus germana Sorore, THEODORA VISSIMIRIA copulatus,

BERNARDUM Filium progenuit, qui cum THEOPHILA Tarlowna Palatinide Sendomirienſi

PETRUM, ALEXIUM, JACOBUM, STANISLAUM & VENCESLAUM Fratres, ex quibus

PETRUS Comitem de BNIN Opalińſka Palatinidem Poſnanienſem.

ALEXIUS, ANASTASIAM de Granow Sieniawſka Caſtellanidem Leopolienſem.

JACOBUS, TERESSIAM Comitiſſam de Herburth Capitaneidem Cracovienſem.

STANISLAUS, ALEXANDRAM Czarnkowſka Palatinidem Lancicienſem.

VENCESLAUS MARGARETHAM Odrowaziam Ruſſiæ Palatinidem Uxores habue-

buere; Ipſisque ac prole, eorumq; Uxoribus deceſſis.

STANISLAUS ſolus cum ALEXANDRA Czarnkowſka, Palatinide Lancicienſi,

MARTIANUM & DEMETRIUM Fratres procreavit, ex quibus

DEMETRIUS, cum SOPHIA Sidonia, Duciſſa in Oſtrog, CONSTANTINUM Filium:

MARTIANUS verò cum EUDOXIA Koniecpolſka, Palatinide Bracławienſi, VINCENTIUM Filium ſterilem:

CONSTANTINUS, Demetrii Filius, cum JOANNA Tarnowſka, Capitaneide Cracovienſi,

PROCOPIUM Filium, qui cum FEBRONIA, Petri Sanguſzko Lubatrowicz, Ducis Koſzyrienſis, Filia;

SEBASTIANUM, qui primus, patronymico vocabulo SOBIESKI appellari voluit. Hic cum CÆCILIA Landzkoronſka, Palatinide Podoliæ,

MARCUM, Lublinenſem Palatinum, qui cum HEDVIGE Snopkowska, Præmyslienſi Caſtellanide; primo Voto

JACOBUM, Caſtellanum Cracovienſem, Filium, Filias verò EUGENIAM, LUDOVICO GONZAGÆ Marchioni in Pinczow Myſzkowski Cracovienſi,

SOPHIAM, CAROLO Czarnkovvski, Poznanienſi,

TERESSIAM, JACOBO Radziejovvski Lancicienſi

ANNAM, NICOLAO Wodynski, Podlachiæ Palatinis,

JULIANAM, JACOBO Wiesiolovvski, Magni Ducatus Lithuaniæ Mareschalco, elocatas,

MARIANAM, Ordinis S. Brigittæ in Conventu Grodnensi Abbatissam; Secundo verò Voto, cum Comitissa de Tenczyn,

JOANNEM Filium, & HELENAM Filiam, immaturo extinctos fato, procreavit.

JACOBUS solus, cum MARCIANA, Ducis in Zbaraz & Wisniovviec HIEREMIÆ Korybuth, Russiæ Terrarum Palatini Filia, primo Voto filias duas, immatura morte sublatas, progenuit; Secundo verò cum THEOPHILA Daniłovvicia, Palatinide Russiæ, Magni Zolkievii Nepte;

MARCUM, à Scythis in Ukraina ad Batovo interemptum,

JOANNEM TERTIUM, Poloniæ Regem Felicissimum,

SOPHIAM, Infantili morte sublatam,

CATHARINAM, prius DOMINICO Duci in Zasław & Ostrog, Palatino Cracoviensi nuptam; deinde MICHAELI Principi in Ołyka & Nieswicz Radzivilio, Magni Ducatus Lithuaniæ Procancellario & Campiduci elocatam,

ANNAM, Ordinis S. Benedicti in Conventu Leopoliensi Professam Virginem, in ætate juvenili mortuam,

STANISLAUM & NICOLAUM, morte infantili sublatos, procreavit. Ex quibus

JOANNES REX, cum MARIA CASIMIRA, Marchionissa de Arquian de la Grange:

ge: JACOBUM, novem Filias infantili morte ſublatas, ALEXANDRUM, CONSTANTINUM, THERESSIAM CUNEGUNDEM Filiam, & JOANNEM, in triennio Vitæ extinctum, progenuit.

Quorum primogenitus JACOBUS, cum HEDVIGE ELISABETHA AMALIA, trium Nominum, Neoburgica Principiſſa,

MARIAM LEOPOLDINAM, immaturâ morte ſublatam:

MARIAM CASIMIRAM ſecundogenitam: JOANNEM Filium infantili extinctumfato:

MARIAM CHARLOTTAM quartogenitam: MARIAM CLEMENTINAM ſuperſtites, & MARIAM MAGDALENAM infantili fato abreptam protulit.

ALEXANDER, in ipſo ætatis flore, anno 1714. die 16. Novembris Romæ extinctus:

CONSTANTINUS ſuperſtes:

CUNEGUNDIS verò Filia, Sereniſſimo Principi, MAXIMILIANO EMANUELI, Electori Bavariæ copulata; ex qua præter quaternam prolem immature deceſſam,

CAROLUS, hæreditarius Electoratus Bavarici Princeps,

PHILIPPUS ſecundogenitus, FERDINANDUS tertio, CLEMENS quarto, THEODORUS quinto, geniti Filii, ac Filia,

ANNA DOMINICA, Soror, Fratresque inter ſe germani, Bojorum Duces, magnæ Spei evituit propago.

SERIES

GENEALOGIÆ SERENISSIMÆ MARIÆ CASIMIRÆ, POLONIARUM REGINÆ, SERENISSIMI JOANNIS TERTII, REGIS POLONIARUM, CONSORTIS.

HUGO CAPETUS, Galliarum Rex, quo ad Virilem à PIPINO, quo ad Fæmellam a CLODOVÆO, primo Catholico, Galliarum Regibus, non interrupta ſerie deſcendens, duxit in Conjugium Adelhaidem, Duciſſam Pictavienſem, ex qua

ROBERTUS FILIUS, Sanctus & Prudens, qui CONSTANTIAM, Blancam dictam, WILHELMI, Comitis de Arles & Provinciæ, Filiam in Conſortem nactus, HENRICUM Filium ſuſcepit, qui

JAROSLAI ANNÆ, vel JURISCLODI, Regis Ruſſiæ Filiæ copulatus, PHILIPPUM Primum procreavit, qui

BERTHAM, Florentis Hollandiæ Comitis Filiam, in Uxorem nactus, LUDOVICUM SEXTUM Groſſum ſeu Craſſum, nuncupatum, prodidit: ex quo cum Adelhaide HUMBERTI Moriennæ & Sabaudiæ Comitis, Filia, LUDOVICUS SEPTIMUS, Pius appellatus, progenitus eſt, qui ducta in Conſortium Vitæ Thorique ALICE THEOBALDI, Magni Campaniæ Blæſiæ & Carnutenſis, Filia, PHILIPPUM Auguſtum edidit, ex quo cum ISABELLA, Hannoviæ Duciſſa, LUDOVICUS OCTAVUS, qui cum Blanca Regni Caſtellæ Filia copulatus,

LU-

LUDOVICUM NONUM, dictum Sanctum, Orbi Christiano progenuit, Ipse demùm MARGARETHÆ, Provinciæ Comitissæ, seu Ducissæ conjunctus PHILIPPUM, Audacem, Regem Galliarum progenuit, qui cum ISABELLA, Regni Arragoniæ Filia, CAROLUM, Franciæ Principem, Comitem Valesium; & hic cum MACHTILDE, Sancti Pauli in Britannia Armorica Principissa, ISABELLAM Valesiam, & PETRUM Nomine Ducem Borbonium, suscepit. Ex quo, cum CATHARINA Borbonia conjuncto, JOANNES Tertius, Comes Harcurianus processit; Ipseque MARGARETHÆ Harcurianæ associatus, JOANNEM in Des Touteville Dominum, & ROBERTUM in Des Ansuboje itidem Dominum procreavit.

Hic ROBERTUS ex MARIA de Sainte Beufue; CATHARINAM de Touteville; & CAROLUM Santmauræum de Nesle suscepit, qui cum Antonia Santmauræa copulatus, ex hoc Connubio FRANCISCUM BARATHONIUM, Brossium, & alterum itidem FRANCISCUM Brossium, Fratres inter se germanos edidit. Ex quibus

Junior natu, cum BARBARA de MORNAY, Domina des Acher, suscepit JOANNEM PRIMUM de la Grange, cujus dein cum CATHARINA de Montespedon Matrimonio progenitus est, JOANNES SECUNDUS de la Grange, qui ducta in Conjugem MARGARITHA

THA de Pomoy Filium habuit GABRIELEM de la Grange, Is postea è Conjugio CATHARINÆ de Guiverlay, Pater fuit JOANNIS TERTII de la Grange, Domini de la Reculée, Superioris & Inferioris Fovillay d'Chaumoy de Vesure, & des Barres, Locum tenentis Artilleriæ. Hoc Patre, & Matre HELENA de la Riviere editus est GODEFRIDUS de la Grange, Dominus de Montigni de Arquian. Hic adjuncta sibi Thori Socia JOANNA de Guitois procreavit FRANCISCUM GRANGESIUM, seu de la Grange, Dominum de Montigni & de Angillon. Hic in Aula HENRICI TERTII, Regis Galliarum, educatus, quo se tanta stirpe creatum monstraret, primo Equitum Centurio; dein primus Dapifer, ac post Gubernator de Beri, Bloa, Dunoa, Vandomi, tandem levioris armaturæ Campi Magister, ac Magnus Artilleriæ Præses, & Parisiensis Gubernator, à Rege destinatus, oblatis sibi Officiis, ac muniis egregie respondit, & cum GABRIELA de Crevant, Claudiani Domini, de Boues, inclyta Filia, CAROLUM GRANGESIUM, Dominum de Montigni & de Arquian procreavit, qui Regii Ordinis Eques factus, Gubernatorem Charitatis, & Ducis de Luxemburg cohortium Præfectum, eximie sustinens, LUDOVICAM, Guilhelmi Hæredis, de Jarts cher Filiam de Rosievart, & de Botau, Dominam, Consortem primo Voto, altero verò ANNAM Brillantiam nactus, ex ea Antonium

Gran-

Grangesium, Marchionem de Arquian, progenuit. Is Prior Capitaneus aut locum tenens Præfecturæ Excubiarum Regni Galliæ creatus, & Gubernator de Sancerre Calais, Metz & Giem, steriliter binis cum Consortibus vivens; ex ANNA, Tertii Voti, Dancienuille Domina de Prie, HENRICUM Grangesium, Marchionem de Arquian, Comitem de Maligni suscepit, qui Ducis Aurelianensis unici Fratris, Regis Galliæ, Excubiarum Præfectum, & Campi Magistrum agens, cum FRANCISCA, Joannis Baptistæ Santronii Hæredis, de Brilbo Filia, felicissimo Connubio, LUDOVICUM, Comitem de Maligni, JOANNIS TERTII, Regis Poloniæ Excubiarum Præfectum, LUDOVICAM MARIAM Grangesiam, Francisco de Bethunes Marchioni elocatam; Tertio partu MARIAM CASIMIRAM Grangesiam, Primo Voto JOANNI Zamoyscio, S.R.I. Principi, Palatino Sendomiriensi in Regno Poloniæ nuptam, ex quo prolem quaternam susceptam & morte infantili sublatam habuit; Secundo verò JOANNI SOBIESCIO, pro tunc Regni Poloniæ Vexillifero; demum Supremo Campi ac ejusdem Regni Mareschalco, ac post REGI POLONIÆ ejus Nominis TERTIO copulatam; quarto nisu MARIAM ANNAM GRANGESIAM, JOANNI Wielopolscio Comiti Supremo Regni Poloniæ Cancellariæ conjunctam: quinto Filium E-

quitem Melitenſem factum; Regio lateri LUDOVICI XIV. Galliarum Regis, Trajectum ad Moſam fortiter oppugnantis, adſtipulantem ibique pila tormentaria violenter enectum: Sexto & Septimo, BINAS VIRGINES, Ordinis Sancti Benedicti Moniales Profeſſas, (quarum una Niverniæ, altera Burgeſiis mortuæ) progenuit. Fortunatus tanta prole Parens; utpote qui Ipſemet diuturniori beatus Vita, ſuaviſſimos ſui Connubii, non ſine intimo cordis Solatio, ac larga cœleſtis benedictionis affluentia ſpectavit & ſuſpexit fructus, ac tandem CARDINALITIA ab INNOCENTIO XII. Pontifice Maximo, decoratus Purpura; viſa FILIA POLONIÆ REGINA, Nepotumque & Pronepotum ampla Serie, plenus dierum in Urbe Romana, Orbis Domina, in Pace quievit.

FINIS.